10
4
15

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
10
1 H
26

10. 4. 4. 15

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.

Virorum illuſtrium ſeu Hiſtoriæ Sacræ

LIBRI X. RECOGNITI, ET AVCTI.

προέθετο αὐτὸν ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ



πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.

[...]TECA NAZ[...] ROMA VITTORIO EMANUELE

LIPSIAE

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO CAESAREO ANNORVM QVINQVE.

BIBL·DOM·PROF·ROM IHS

ILLVSTRISS. DVCIS AC DOMINI D. AVGVSTI SAXONIAE ELEctoris filio Illuſtri D. CHRISTIANO, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ.

S. D.

Georgius Fabricius Chemnicenſis.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EMANUE

IN THESAVRIS ſuis habuerunt imperatores Perſarũ non ſolum gemmas, aurum, odores, quibus ad ſplendorem & luxum vterētur: verum etiam rerum à ſe atq; ab alijs geſtarum libros atque monumenta, quæ ab illis reponerentur ad ſapientiam & memoriam. nam à curis & negotijs publicis vacui, aut aliqua moleſtia affecti, ſuos commentarios inſpiciebant, cùm ad animi iucunditatem in otio, tum ad leuationem ægritudinis in ſollicitudine, inſomnia, aut morbo. Darij tempori-bus, filij Hyſtaſpis, hominum etiam be-

neficia,in illis faſtis regijs annotabantur, vt qui meriti præclarè de imperio eſſent, honores & præmia ſuo tempore acciperent. Hos libros cum aliquando ſibi proferri Darius iuſsiſſet, & viro præſtãti nullam gratiam relatam intelligeret, mandata ſtatim dedit, quibus animum ſuum gratum atque beneficum, nõ modò corã aulicis in conuiuio, aut alio loco honorato: ſed coram omni populo Suſano, illuſtris præconis voce, & regia magnificentia teſtificaretur. Accuſat Neronis ſeculum, quidam eius familiaris, quo illa humanitas atque liberalitas ita deſierat, vt pariter ex animis hominum, & è monumentis literarum, honeſta meritorum & virtutis memoria deleretur. vndè etiam facile animaduertitur, quantum Darius à Nerone, imperator à tyranno, vir bonus à beſtia immani differat. Omnes igitur qui monumenta aut gentium, aut vrbium, aut familiarum conſeruãt, operam nauant ſalutarem & regibus & reipublicæ: qui verò eas res, quæ ad Deum excelſum, & ad Eccleſiã, patriam communem, pertinent, in mentes redigunt: multò melius ſtudium, & laborem vtiliorem inſumunt. Nam ſi pulchrum eſt, animo complecti quid Themiſtocles, quid Scipio, in

ſua

ſua quiſq; patria egerit : quos hoſtes, & quàm potentes vicerit: quàm graue iugũ à ceruicib. nobilitatis, quàm feros enſes à iugulis ciuium auerterit: turpiſsimum certè eſt homini Chriſtiano, & ciui Eccleſiæ, ignorare regis Dauidis aut Ezechiæ, aut aliorũ pericula, ſermones, victorias: imò eorundem lapſus, errores, facinora, quibus & ferro dimicandum fuit contra hoſtes, & precibus contra Diabolũ. quiq; non ſolo pugnarunt milite, ſed ardenti potius fide, ipſis ſæpenumero angelis eorum hortatoribus, ducibus & ſigniferis. Liberat Athenas Themiſtocles, Romam Scipio: quorum ille totam Aſiam terrore perculit, hic fortitudinis habenas Africæ extorſit: tantorum laborum in vita fructus illis fuit, exilium, in quo vitã vterq; amiſit. In morte autem fremit Themiſtocles, indignatur Scipio, qui ſuos quoq; cineres atq; oſſa ciuibus ingratis denegabat. Quid igitur conſecuti ſunt tot curis, tantiſq; laboribus? Id, videlicet, quod vir ſanctus loquitur, de nominibus ſuis nomina indiderunt terris: ſed reliquerunt alienis diuitias ſuas, & in altitudine ſua non ſteterunt. Præbent igitur iſtiuſmodi hiſtoriæ cognitionẽ periculoſæ virtutis, gloriæ inconſtantis, vitæ deniq; infelicis:

qui caſus à bene merendo magis auocant, quàm incitant. nam hi viri animis potuerunt æquis tolerare aut aſtutis diſſimulare iniuriam: multi contra contemptus & dedecoris impatientes, ſuis cupiditatibus, & ſe ſimul, & patriam perdiderunt. Sapientes itidem nonnulli ipſam virtutem, vt rem inanem, & miſeram, & veluti propudioſam, morituri vituperarunt, quod in Tragœdia facit Hercules, iam cœlum [vt eſt in fabulis] aſcenſurus: & cum imitatur habitus Romanorum fortiſs. M. Brutus, vt apud Dionem legitur. Longè alia eſt in exemplis Dauidis & Ezechiæ, & aliorum regum optimorum ratio. Hi enim inſtructi ſunt de Deo, quẽ verè agnoſcunt, cuius nutu gubernari actiones ſuas ſciunt, quem vitæ, regnorum, ſalutis datorem adorant, à quo manus ſuas regi ad præliũ experiuntur, cuius voluntatem perferendam in reb. aduerſis, prædicandam in ſecundis didicerunt, à quo vitam beatam & æternam habent atq; expectant. Itaq; abiturus in exilium Dauid, Deo precibus ſe commendat, & patienter ſuſtinet calamitatem, Si inuenero [inquit] ante oculos Domini gratiam, me reducet: ſin autem dixerit mihi, nõ places: ecce me, quod bonum videtur

detur Domino,id faciat. Hic vir magnus ita regnum poſsidet, quaſi non habeat: ita expetit, quaſi eo carere poſsit,ſi Deo aliter videatur. Similiter in morbum peſtiferum incidens Ezechias, bene de ope diuina ſperat, & antequam gemitus ſuos finierat, ꝙ pectore ſuſpirat, verbo nondum expreſsit,iam obtinet: Deo illi tribuente bonam valetudinē, & quindecim annorum ad terminum vitæ acceſsionē. Igitur ſacrarum hiſtoriarum alia doctrina & delectatio, alius fructus & ſuauitas, alia deniq; efficacia, & vt ita dicam,ſanitas,quàm extra Eccleſiam omnium eſt reliquarum.Quamobrem præclarè & vtiliter traduntur perpetuo, vt eas pueri audiant & imbibant: adulti,ſecundum eas vitam & mores inſtituant & viam ſalutis cōſequendæ omnibus temporibus, inde diſcant omnes homines. Quod ſi in rudi ætate negligitur, impietatis & ignauiæ tā parentes quàm magiſtri pœnas graues atq; acerbas perſoluent:cùm poſt paucos annos viderint, pro libris ſanctis ac diuinis,augurum,hariolorum, diuinatorum, coniectorum, & quorumuis æruſcatorū nugas & ſomnia in iuuentutis manibus verſari:quod Dei quondā populo accidit regis Manaſſæ ſeculo. nam inter ætatem

regum Ezechiæ & Ioſiæ, prophetarum Eſaiæ & Ieremiæ, planè amiſſos fuiſſe libros legis, niſi hiſtoria regum certiſsima loqueretur, pauci crederent, in tam breui tempore, in tam bene conſtituto regno. Idem accidit, quod minus tamen mirum eſt, Eccleſiæ inter Aſſyrios exulanti, quã cùm Deus ſtabiliret atq; ornaret miracu lis & prodigijs in imperio barbaro: interea qui in Iudæa remanſerant, & legis Dei, & linguæ patriæ ſunt obliti. nam vt Nehemias ſcribit, E media parte loquebantur Azoticè, & loqui Iudaicè neſciebant. omnia enim alia, excepto verbo Dei ſanctiſsimo, didicerant, neglecti à ſecuris parentibus, & corrupti à matrib. impijs atq; gentilibus. Ex illis poſtea aſotis deſcenderunt ſummi iſti pontifices, qui ex Ioſua, Onia, Ioachimo, Ionatha facti ſunt Iaſones, Menelai, Alcimi Ariſtobuli, hoc eſt, ex hominibus monſtra, è ſacerdotibus furiæ: nam vt nomina leuitate & odio gentis ſuæ mutarũt, ita etiã patriam, & religionem, & amicos prodiderunt. Poſt Italiæ vaſtitatem à Gothis Vandaliſq; effectam, religioſi attentiores fuerunt in legendis Comœdijs, quàm in Euangelijs cognoſcendis: nobiles matronæ cum maiore plauſu audiuerunt lyram

Flacci,

Flacci, quàm doctrinam Solomonis: exercitatiores fuerunt in artibus Naſonis, quàm in lectione Pauli. Illud Damaſo pontifici conqueritur Hieronymus, hoc abbati Salmoni Victor Maſsilienſis. Periculum eſt, ne hoc ſeculo arrogãte & proteruo idem aliquando eueniat, vt in templis ſæpius audias nominari Homerum, Ariſtotelem, aut Lucianum, quàm Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos, contra diui Pauli mandatum: qui eiuſmodi doctores appellat ſuperbos, & imperitos, & inſanientes, Timotheo ſcribens diſcipulo, adoleſcenti erudito. Quamobrem faciendum eſt, ſi Chriſtiani verè nominari cupimus, vt Chriſtianè loquamur, ne de nobis etiam dicat irridens olim impietatem noſtram poſteritas, Partim loquebantur Azoticè. Hoc ſi quis in contemptum dici putet linguarum aut artium, is ſe ipſe accuſat prophanitatis: quæ vt in vita prophana toleratur, ita eſt à templis & ſacris, ab ore & corde pij hominis amouenda. Huic malo, vt pro mei officij ratione mederer: ea de cauſa has hiſtorias veteris Teſtamenti, quas pueris ab Illuſtriſs. Electore, patre tuo optimo, mihi commiſsis dictaui, & nunc cum alijs publicè communico: vt quaſi viam legen

tibus muniam ad hiſtorias ex ipſis fontibus, maiore cum fructu ac voluptate, addo etiam cultu atq; veneratione hauriendas. Eos libellos ideo CHRISTIANE Princeps, tuo nomini illuſtri inſcribo, quia & ordinem ampliſsimum, & ætatem tuam tenerrimam decet has ſcire, & credere, & cum aliarum gentium moribus, cum per ætatem fieri poterit, comparare, & harum veritatem totius vitæ tempore intueri, admirari, ſequi. Id auum maternum tuũ CHRISTIANVM, ſanctæ memoriæ, regem Danicum, feciſſe, omnes ſciunt: id Illuſtriſs. Electorem patrem tuum, cotidie nunc facere: fratrem inclitum Alexandrum mandato paterno facere cœpiſſe, ante oculos vides, quorum omnium facta ſunt eximia, & imitatio fuerit glorioſa. Deus omnipotens gubernet ætatem atque indolem tuam, vt felicitate Dauidi, bonitate Ezechiæ ſis comparandus, vtq; tuo CHRISTIANE princeps ductu & exemplo, noſtri etiam liberi Chriſtum ament & venerentur, & in vita tecum gaudeant beata & cœleſti. E ludo Illuſtri, Miſna Hermundurorum, IIII. Non. Febr. Anno à Chriſto ſeruatore nato

M. D. LXIIII.

SVL-

SVLPITIVS SEVERVS EPISCOPVS NARBONAE, DE SVA hiſtoria ſacra.

EA quæ deſacris voluminibus breuiter digeſsimus, nō ita legentibus auctor acceſſerim, vt prætermiſsis illis vndè hæc deriuata ſunt, appetantur: niſi cùm illa quis familiariter nouerit, hîc recognoſcat,quæ ibi legerit. etenim vniuerſa rerum myſteria non niſi ex ipſis fontibus hauriri queunt.

NOMINA SCRIPTORVM QVORVM PRAETER libros ſacros, interdum vtimur auctoritate, teſtimonij cauſſa.

Africanus
Appianus
Chryſoſtomus
Clemens
Epiphanius
Florus
Hegeſippus
Herodotus
Hieronymus
Iaſon
Ioſephus
Iuſtinus hiſtoricus
Iuſtinus martyr
Oneſicritus
Oroſius
Paulinus
Philo
Proſper
Prudentius
Satyrici
Strabo
Suidas
Sulpitius
Tacitus
Tertullianus
Theophilus
Victorinus
Xenophon.

GEORGIVS FA-
BRICIVS.

T*Hucydide nil amplius,*
Magnoq́ue maius Liuio:
Alter Neoclis filium,
Te Scipio alter prædicat:
Claros quidem viros, ſua
Et lumina alta patriæ,
Dignos & immortalibus
Virtute pulchra laudibus:
At inſcios tamen Dei,
Cœliq́ue inanes luminis,
Cœleſtiumq́ue præmijs.
Me, me illa Moſis ſancta: me
Simplex Samuelis veritas,
Oracula & Prophetica,
Scriptúmue quatuor viris
Volumen illud aureum,
Delectat, afficit, rapit.
Cùm te lego Abraham Deo
Charum, & Iacobi filium:
Cùm te, ſecundum pectora
Dei repertum, Dauidem.
Tum ſtirpe eâdem proditum,
Dei perennis filium,
Et cùm ſonoram Paule te
Verbi ſacrati buccinam
Stupore plenus audio.
O nulla uox, ò nulla vis

Mihi

Mihi tenebras aut metum
Hæc cogitanti concitet:
Intus fides me muniat,
Exempla confirment foris,
Vt totus à Deo Patre,
Eiusq́; Nato & ſpiritu
De ſempiterno pendeam.
Ne caſſus eius gratia,
De rebus illis proditis
Verbo Dei, vel hæſitem
Malus, vel amens diſputem,
Vitæq́; luſtris cum decem
Mente infideli inſaniam.
A Patre procedens Deo,
Eiusq́; ſancto Filio,
Par numen, efficax vigor,
Hoc alme dona Spiritus.

IACOBVS FABRICIVS.

CVi dono pius hic datur libellus,
Qui ſacræ hiſtoriæ viros celebres,
Magna exempla malis bonisq́; monſtrat,
Pœnarum monumenta gratiæq́; ?
Aetati teneræ quidem, ſed aptæ
Cælo: cui ſimiles iubemur eſſe
Nudo pectore, candidaq́; fronte.
Hi ſunt quos amat ipſe Chriſtus, & quos
Vlnis geſtat & implicat paternis,

His

Hiſ ſuetus rapere oſculationes,
Horum ſumereq́; oſculationes.
Has Eccleſiolæ iubet nouellas
Plantas ſurgere ſeminariumq́ue:
Has curans rigat ipſe, vimq́; pellit
Tempeſtatis, & impetus ferarum.
Tecum ætatula fer tenellulorum
Hæc exemplaq́;, & hanc fidelitatem
Obſeruans, fuge crimen impiorum.
Nec ſit futile cæteris volumen
Ingratúmue, ſeni, viris, ephebo,
Qui nomen populo dedêre Chriſti.
Mores eſt tibi turpe ciuitatis
Ignorare tuæ, & tuum ſenatum:
Quantò religio putanda maior,
Et communio congregata verbo
Cæleſti? ſocios coloniæ eius
Cultores fidei, angelos ſalutis,
Magnos numine ſpirituq́; Chriſti
Neſcire, eſt hominum miſerrimorum:
Quos vt facta nihil iuuant bonorum,
Sic non terret imago perditorum,
Vitæ prodiga turba ſempiternæ.
Ad fontes via tuta Bibliorum eſt,
Tales hauſtibus ebibiſſe riuos,
Quales Fabricij propinat iſte
Hauſtus è medijs ſacris libellus.
Ripam nauita verrit imperitus,
Poſſunt littora transfretare docti.

i LIBER

LIBER I.
Libertatis Eccleſiæ inuictæ.
II.
Eccleſiæ per miſeriam propagatæ.
III.
Eccleſiæ à ducibus gubernatæ.
IIII.
Regij Eccleſiæ imperij.
V.
Regni Iſraëlitici ſeu Samaritani.
VI.
Regni Iudaici ſeu Ieroſolymitani.
VII.
Eccleſiæ exulis atque reſtitutæ.
VIII.
Eccleſiæ à regibus Aſiaticis vexatæ.
IX.
Gentium Eccleſiæ aduerſantium.
X.
Eccleſiæ à regibus Aſmoneis & Idumæis laceratæ.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER PRIMVS.

Libertatis Eccleſiæ inuictæ.

1. ADAMVS.

ADAM *primus homo, è limo terræ, verbo Dei conditur, & motu Spiritus ſancti animam accipit viuentem: qua non ſolùm in hoc mundo degeret, ſed gloria etiam Dei in cœlis frueretur. Conditus ad imaginem Dei atq; æternitatem, & totius orbis terrarum factus rex atque dominus: animantes numerat atque nominat, factam ex ſe mulierem ſtatim agnoſcit: cum qua in rerum omnium copia & felicitate viuens, diaboli fraude & eius ſuaſu deceptus, Dei mandatum violat, eumq; iratum nuditate perſpecta fugit & auerſatur: verùm à Deo ipſo reuocatus, peccatum agnoſcit & deplorat, & ipſius clementia plenam conſolationem accipit: edita promiſſione illuſtri, de ſemine mulieris, caput ſerpentis veneficum ſeculis futuris omnibus contri*

 turo,

turo. Eiectus autem poſſeſſione horti vberrimi, labores iniunctos patienter tolerat, & quamuis miſerijs omnib. tota vita, & deinceps morti ipſi eſſet obnoxius: tamen ſpem de promiſſione diuina non abijcit, & in Eccleſia ad patrem vſque Noæ, annis nongentis & triginta de filio Dei docet, ſuoſq; poſteros ad ſpem immortalitatis & vitæ æternæ erigit atque animat. A Deo bona promiſſa & ipſe fide complectens, et alios ea ſapientia, de cœlis profecta inſtruens, cum poſteritate credente ſeruatur.

2. EVA.

EVA *è viri dormientis latere atq; coſta, Dei manu virgo producitur, ornataq; ſpecie eximiæ pulchritudinis, ipſo Deo auctore et pronubo ad virum deducitur. dos fuit, vera Dei agnitio, & integritas: domicilium, amœniſſimus hortus, & huic adiunctum in omnes res conditas, tam animatas, quàm non animatas, imperium: victus, arborum fruges, & plantulæ ſalubres, & monſtratus à conditore fonticulus: amictus verò innocentiæ & ſanctitati nullus. Hæc blanditijs Diaboli inducitur, vt oblita mandati arboris vetitæ pomum carpat, idemq; viro guſtandum porrigat. Sua igitur temeritate viro, victum aſperum & ſudores: ſibi, dolores partus et ſeruitutem peperit, omnemq; poſteritatem ſecū perdi-*

perdidit, mortemq; in hominum genus miſerrima introduxit. Excitata autem ab ipſo Deo ad ſpem ſalutis atq; vitæ, etiamſi dote ampliſſima & bonis ingentibus ſpoliaretur, omnes tamen vitæ difficultates & longæuitatis ærumnas ſuſtinet precibus & patientia.

3. CAINVS.

CAINVS *primus ex homine homo natus, parentum ſingulare gaudium, in adoleſcentia agrum colere cœpit, multoq; ſudore & moleſtia victum quæritare. In ſtudijs pietatis negligens, & maxima quæq; ſibi pollicitus: cùm fide nō ſincera Deo munera offerret, eſt illi frater diuino teſtimonio antepoſitus. Quamobrem ira & odio exardeſcit, & de necando Abele, tacitè ſecum cogitat, quem blando ſermonę in agrū pellicit, nullaq; pietatis & ſanguinis reuerentia, furtim obtruncat. Accuſante ipſum Deo, non deprecatur, ſed ſuperbè reſpondet, & conſcientia excita vexatus, ruit in deſperationē, & à facie conſpectuq; parentum fugiens, incerta in terris ſede vagatur, incertoq; opinionum turbine, à parentum fratriſq; Eccleſia diſcedens, agitatur: Deum non vt conditorem ſuum reueritus, ſed vt tyrannum auerſatus: tandem à ſuo trinepote Lamecho, per imprudentiā perhibetur interfectus, caput Eccleſiæ hypocriticæ, & filiorū ſeculi imago efferata.*

4. ABEL.

ABEL *apud parentes minus gratioſus, quàm Cainus, reſpicitur & curatur à Deo: de cuius promiſſionibus rectè ſentit, eisq́; toto animo vt veriſſimis aſſentitur. Adoleſcens opilio factus eſt, gregisq́; primitias Deo gratus obtulit, non vt placeret ſacrificio, ſed vt Deum honoraret obœdientia. Deus cùm Abelem fide humilem probaret, Cainum propria iuſticia tumentē auerſaretur: primæ inter fratres de ſacrificijs, & placando Deo diſputationes ſunt exortæ: quas cùm tantùm ad verba promiſſionis, non ad iudicium rationis Abel referret, acerbum in ſe fratris odium concitauit, cui irato & furioſo, etiamſi cum periculo reſiſteret: tamen vitam profundere maluit, quàm veritatem in promiſſionibus Dei, relinquere indefenſam. Quamobrem per fidem mortuus, adhuc loquitur, eſtq́; ſub lege adhuc, primum noui teſtamenti membrum, à quo prima vox martyrij edita, in cœlis exauditur.*

5. SETHVS.

SETHVS *tertius Adami filius, maximum parentis afflictiſſimi ſolatium fuit, cùm enim alterum cæde, alterum fuga amiſiſſet, huius ortu recreatus mirificè eſt, & magis delectatus eo, quòd cùm Cainus omnem pietatem contumaciter*

&

& ſecurè contemneret, & contraria promiſſioni diuinæ dogmata propagari à ſuis pateretur: hic Sethus diſciplina patris ſanctiſſima imbutus, à verbo Dei puro non receſſit. Vixit annos noningentos & duodecim, & poſt Abelem & Cainum ſolus, ex Adami filijs, nomine exprimitur, quia ſolus promiſſionis defenſor acerrimus, & caput Eccleſiæ naſcentis fuit. Inter viros primæ Eccleſiæ laudatiſſimos meritò numeratur.

6. ENOS.

ENOS filius Sethi, ea, quæ de Deo, ab auo atque patre intra parietes didicerat, extra domum longius extulit, & cum multis alijs communicauit. Videns enim eccleſiæ Cainicæ magnitudinem & prophanitatem, de Meſſia venturo, de ſacrificijs, de vera inuocatione, de vita cœleſti & beata, non modò ſuam inſtituit familiam, verumetiam in vicinia conuentus egit, veros ritus docuit, ijs contrarios refutauit: tum Cainicæ vanitati & hypocriſi, doctrinam promiſſionis certam & incorruptam oppoſuit, contraq; diaboli furores, & hoſtium aduerſantium potentiam, cœpit inuocare nomen Domini. Vixit annos noningentos & quinq;.

7. ENOCHVS.

ENOCHVS *Iaredi filius, trinepos Sethi, doctor Eccleſiæ veræ, & propheta excellentiſſimus, nullis corruptelis abduci aut potẽtia flecti à ſimplicitate verbi Dei potuit. Ideo in falſos promiſſionis interpretes ſeuerè inuehitur, omnemq; mundi faſtum & ſecuritatẽ liberrimè reprehendit. In concionibus ſuis duplici modo impios terruit: Cùm exemplis præſentibus, vt exilio Caini, & pœnis aliorum: tum verò etiam minis futuri iudicij, in quo & de factorum proteruitate atq; licẽtia, & de doctrinæ corruptione ſermonibusq; blaſphemis rationẽ ſint Deo reddituri omnes peccatores impij. Cùm ſincerè & integrè coram Deo in ſuo munere verſaretur, ſola ei fide placuit, & iamiam è viuis exceſſurus, per fidem mortem non ſentit: ſed ipſo corpore ad vitæ melioris gaudia transfertur: exemplo manifeſto poſteris relicto, alias ſupereſſe ſedes, in quibus ipſi vita ſuaui & quieta perpetuò ſint fruituri.*

Conſule Epi- ſtolã Judæ.

8. LAMECHVS IMPIVS.

LAMECHVS *filius Methuſaëlis, de Caini ſtirpe, membrum Eccleſiæ hypocriticæ, cùm publicè cõtaminata eſſet ab ipſius maioribus ſalutaris doctrina, ipſe quoq; domeſticã violat honeſtatem, duorumq; animorum coniunctionem, quam*

inter

inter virum atq; fœminam Deus conſtituerat, in plures amores diuulgat, primusq; vno tempore, contrà decretum diuinum, duas vxores petulanter ducit. Filij eius homines ingenioſi, et voluptatibus ineſcati, ac quæſtui ſeruientes, inſtrumenta muſica, & artes fabriles varias, & apparatum ciborum excogitarunt. Lamechus tandem tritauum ſuum Cainum iaculo traieciſſe incautus dicitur: cuius cædis atroci dolore, & pœnæ imminentis formidine vexatus, vxoribus importunus, & in familiam crudelis eſt: nec vitam aut incolumitatem ſuam vlli hominum, ne propinquorum quidem auſus fuit committere.

9. LAMECHVS PIVS.

LAMECHVS *filius Mathuſalæ, nepos Enochi: patre nemo mortalium vitam vixit longiorem, auus vnà cum corpore ad immortalem migrauit. Lamechus digna ſummorum virorum proles, in eorum rectis veſtigijs ambulauit conſtanter, pariter ſpiritu prophetico venerabilis. Eius temporibus neglectione promiſſionis, & veritatis verbi Dei, audacia ſcelerum, & intemperantia libidinum adeò fuerunt aucta, vt locus emendationi nullus foret. Quapropter in ſeculi deprauati impunitate, vitam duxit acerbè, nec prius animo acquieuit, quàm*

natus ſibi eſſet Noa filius: quem generi humano nouum fore ſolatium putauit. Vixit annis ſeptingentis ſeptuaginta ſeptem.

10. NOA.

NOA *Deo carus, mortalium miſerrimus, quo nemo contemptum Dei maiorem & magis nefarium conſpexit: homines enim coram Deo corruptiſſimi, filij Dei coram hominibus haberi volebant: ſpecie & ſimulatione ſancti, amore metuque Dei planè vacui. Ante diluuium ægro animo fert impij Lamechi libidinem, inſolitam hominum leuitatem & laſciuiam, Gigantum immanium ferocitatem, vulgi perditiſsimam licentiam. Poſt diluuium perfert ludibrium Chami filij, tyrannidem experitur Nimrodi, auerſatur temeritatem ædificantium turrim, deplorat confuſionem linguarũ, exhorreſcit diſſipationem gentium. Iuſticiæ Dei fidelis præco, calamitatem venturam impijs denunciat, non ſolùm verbo et doctrina, verumetiam extructione nauigij, quo conſcenſo cum vxore, tribus filijs, totidem nuribus, contuetur iram cæleſtem, et rerum conditarum omnium interitum, & ſupra ruinas orbis terrarum, annum integrum nauigat. Inde egreſſus aram Deo pro ſua ſalute extruit, & pro tota poſteritate accipit ſignum clementiæ diuinæ, arcum cæleſtem. Agrum rurſus colit, & plantat*

vineas,

vineas, veterem quoq; legem connubiorum inſtaurat, nouam de homicidio ſancit: & de venturo liberatore vſq; ad extremum vitæ ſpiritum concionatur. Vixit annos noningentos & quinquaginta, qui & prioris mundi amœnitatem & lætitiam admiratus eſt, & alterius vndis dilacerati vaſtitatem & miſeriam ingemuit.

11. CHAMVS.

CHAMVS *filius Noæ, natu minimus, turpis apoſtata & homo facinoroſus, cernens patrem ſuum vino obrutum, & corpore nudato iacentem, ad irridendum ipſum fratres ſuos aduocat: ſeſe efferens & prædicans, ſenis doctoris atq; patris vicio & imbecillitati inſultans.* Itaq; *cùm peccaſſet ſuperba libertate, ſeruum ſe facit merito crimine. Audito eius ſcelere pater, ira iuſta inflammatus, poſteritatem ipſius deuouet, et ſeruituti fratrum perpetuæ addicit. Gens Chanànæa, ab ipſò oriunda, ita poſtmodo deleta eſt, vt nec agris, nec vrbibus, nec pecoribus, nec hominibus, nec ſolo deniq; ipſi parceretur. Hic plagam, meridiem verſus, inhabitauit, & ab eo magni illi populi, Aethiopes, Aegyptij, Numidæ, Mauri ſunt deducti.*

12. IAPHETVS.

IAPHETVS *Noæ maximus natu filius, patrem ſenem reueritus, eius errori ignoſcit, & imbecillitati parcit. Itaq; pietatis ſuæ fructus tulit præſtantes, locum in Eccleſia Dei, & poſſeſſionem terrarum ampliſſimarum, & dilatationem promiſſionis. Ab ipſius poſteritate gentes hæ bellicoſæ, Medi, Scythæ, Sauromatæ, Græci, Thraces, Germani, Itali, Iberi deſcendunt, qui ſedes in Occidente & Septentrione potentiſſimas fixerunt.*

13. SEMVS.

SEMVS *alter Noæ filius, Dei patriſque obſeruans fratri maiori auctor eſt, ne dedecus patris, in quod imprudens ſenex inciderat, exagitet. Itaque ad nudum ambo, Semus & Iaphetus, facie auerſa accedunt, & pallio ſuperiniecto, ipſum velant. Noa à vino ſomnoq; experrectus, facto filiorum cognito, optima precatur Semo, Dei cultori, & eius benedictionis facit participem Iaphetũ. In Chamum autem diras iacit, & ſeruum fore fratrum reliquorũ prædicit. Chami hæreditas, ſolum videlicet Chananæorum, tandem poſteris Semi traditur, qui in eo ſedẽ Eccleſiæ & regni conſtituerunt. Ab ipſo Semo populi Orientales, homines ſapientiſſimi, Chaldæi, Aſſyrij, Perſæ, Syrij, Armenij, Phœnices, Bactriani ortum trahunt: inter quos populos Eccleſia Dei*

longo

longo tempore hoſpitium habuit. Vixit Semus annos ſexcentos.

14. NIMRODVS TYRANNVS.

NIMRODVS *Chuſi filius, Chami nepos, vir audax & ſtrenuus, Babylonem ædificat, armaque ad ſubiugandos alios primus capit. Parentum enim auctoritate neglecta, quæ mitiſſima dominatio fuit, omnis honeſtas et grauitas inter homines concidebat, creſcebatque ſcelerum & flagiciorum impunitas. ideo Nimrodus vi obædientiam extorquet, & pœnis ſtatuendis dominatum contra rebelles occupat. Dictus ſermone multitudinis, venator coram Deo, quia violentus & iniurius erat, & ad agendum ſecundum ſuas leges, minus potentes ſine reſpectu atq; diſcrimine cogebat. Ab eo initia facta ſunt Monarchiarum, quas Deus texit, vt in ijs maneret aliquis nidulus Eccleſiæ, qui præſentia Dei defenderetur, etiamſi ſeruitute varijsque ærumnis inter imperia ſæua & ſuperba homines innocentes & pij premerentur.*

15. EBER.

EBER *pronepos Semi, ſuis maioribus, viris ſanctiſſimis, non diſſimilis, doctrinam de Deo,*

&

& eius filio venturo, purè caſtèque tradidit, & pro ea liberrimè propugnauit. Hunc feritati Nimrodi ſe oppoſuiſſe vero conſentaneũ eſt, qui ad ſtabiliendam ſingularem potentiam, non in quoſuis modò homines, ſed in ipſa Dei membra vim exercebat. Quia verò excellenti fide, animi præſentia, dignitate Eber fuit: ideò qui de ſalute animorum rectè ſentirent, & ſeſe ad piam Eccleſiam aggregarent, ab eius nomine, multis ſunt ſeculis Ebræi denominati. Vixit annos quadringentos ſexaginta quatuor.

16. PHALECHVS.

PHALECHVS *filius Eberi, paternæ auitæque doctrinæ auditor, eo tempore natus ſcribitur, & facto nomen eius conuenit: quo Deus, linguis confuſis, diſſipauit agmen Nimrodicum, in turri Babylonica extruenda, propter virium oſtentationem, & famæ ſuæ memoriam occupatum. Maxima tum clades illata Eccleſiæ eſt, & paſſim creuit ſuperſtitio multiplex. Quemadmodum autem homines, pœna confuſionis linguarum in varias gentes, ex vna vrbe diſtracti ſunt: ita dono intelligentia linguarum, omnes nationes & populi in vnam ciuitatem, quæ eſt Eccleſia, rurſus ſunt congregati. Vixit annos ducentos triginta nouem.*

THARA

17. THARA.

THARA *trinepos Eberi, pater Abrahami, in Chaldæorum ciuitate, cui ab igne nomen fuerat inditum, habitauit inter impios, & ſpecioſa illorum religione in errorē quidem inductus, ſed non planè ſeductus eſt: dijs autem alienis ſeruiuit, & in illa maiorum veritate liquida & ſimplice firmiter non perſtitit.* E' *Chaldæa migrat cum filio, nuru, & fratris filio in Meſopotamiam, & in vrbe Haran (quam poſteri Charras nominarunt) hoſpes vita defungitur, anno ætatis centeſimo quadrageſimo octauo.*

18. NACHOR.

NACHOR *alter Tharæ filius manſit in Meſopotamia, & in illa vera & excellente doctrina eruditus à fratre ſuo Abrahamo, de promiſſo Meſſia, qui mundo ſalutem daturus ſit, aliquid retinuit, & in vicinos ſparſit. Ex eius nepte Rebecca, Iacobus natus eſt, filius Iſaaci. Nonnulli prophetam Bileamum, qui Moabitis de ſtella, in familia Iacobi oritura, vaticinatus eſt, ex eiuſdem progenie ortum volunt.*

19. ABRAHAMVS.

ABRAHA-

ABRAHAMVS è patria Chaldæa vocatu Dei, in oras ignotas proficiſcitur, & ex idololatra pater fit credentium: cui Deus inter multas exiliorum ærumnas, aliquoties promſſionem repetit, de ipſius videlicet ſemine eum proditurum, in quo ſint benedicendi omnes populi terrarum: ad quam confirmandã, terra illi Chananæa promittitur, non vt ſedes firma & perpetua, ſed vt hoſpitium Chriſti naſcituri: fœdus quoq; circumciſionis cum eo ſancitur, non vt iuſticia corã Deo, ſed vt iuſticiæ fidei ſignaculum. Vxorem habet annis & ſterilitate emortuam, & ipſe decrepitus: filium ex ea miraculoſè editum, iubetur occidere, et Dei mandato obtemperaſſet, niſi fuiſſet ab angelo prohibitus. In Chananæa excepto ſepulchro inquilino, nihil proprium poſſidet: tamẽ ſub ſpe contra ſpem credit, & quæ non videt, ſtatuit præſentia, Deumq; veracem eſſe & omnipotentem ſibi certiſſimò perſuadet. Seruatur à Deo inter Chaldæos, Meſopotamios, Chananæos, Palæſtinos, & Aegyptios. angelos vitæ cuſtodes, & menſæ ſuæ conuiuas habet: reges Babylonis, Aſſyriæ, Perſiæ, & Ciliciæ ad alterum Iordanis fontem cum manu ſeruorum exigua ſpoliat: populo Sodomæo libertatem, fortunas, partam reſtituit: parta de hoſtibus victoria, bonorum ſuorũ decimas liberaliter offert, & lætitia gratulantis ſibi regis & ſacerdotis triumphat. Diſcedentibus à ſe duo-

*ſe duobus angelis conuiuis, cum Dei filio loqui-
tur,eiq; pro vrbibus perdendis,ſexies ſupplicat:
homo Deo quaſi intimus,pater magnus plurima
rum gentiũ,vir ante alios omnes, gloria inſigni
præſtans: geſtiuit videre aduentum Meſſiæ, fide* Joh: 8
*vidit, & ſpe ſua lætatus eſt. A duobus filijs in
Hebrone, anno ætatis centeſimo ſeptuageſimo
quinto,cum honore ſepelitur. Filios Abrahæ ſcri
ptura vſq; ad finem mundi eos nominat,qui Dei
promiſſionibus credunt.*

20. SARA.

SARA *vxor Abrahami,patria dulci, & pro-
pinquis optatiſſimis relictis, virum ſponte in exi
lium ſequitur:propter eximiam formam bis ra-
pta,ſemel in Aegypto,iterum in Palæſtina:dedu
cta in regia gynecæa, Deo cuſtode, ſalua pudici-
cia reſtituitur. Ancillam propter ſpem promiſſio-
nis marito deſpondet,prolis cauſa:ſed eam ſuſce-
pto filio ſuperbientem,domo exigit. Ipſa tandem
præter naturam fide filium parit, Deique vatici-
nium,quod riſerat, vanum non fuiſſe comperit,
mater facta anno ætatis nonageſimo. Decus ma-
tronarum, propter pietatem: & ſexus ſui orna-
mentum,propter mariti obſeruantiam fuit: quẽ
vt dominũ ſuum nullo loco deſerit,omni tempo-
re colit & veneratur. A' Paulo Apoſtolo credẽ-
tium & Eccleſiæ typus prædicatur: a Petro ex-
emplũ omnib. mulieribus proponitur,ne magis
auro,*

auro, cincinnis, veſtitu placere ſtudeant, quàm ſanctitate, lenitate, & beneficentia. Obijt anno ætatis centeſimo vigeſimo ſeptimo, quam maritus luxit, & honorificè ſepeliuit.

21. LOTHVS.

LOTHVS *filius Harani, Tharæ nepos, Saræ frater, patrui ſui Abrahami comes indiuiduus, bona cum eo malaq; tolerat. Auctus gregibus & armentis, propter ſeruorum importunitatem & loci anguſtiam, regionem ad pabula ampliorem quærit, & in agro Sodomæ lætiſſimo conſidet. In eius vrbis direptione ab Aſſyrio regibusq; ſocijs captus, patrui virtute reducitur. Sodomæorum auſu & procacia creſcente, videndis audiendisq; eorum facinorib. excruciatur cotidie. Angeli duo, qui ab eius patruo diſceſſerant, apud eum diuertunt: vitam ipſius, pudiciciam coniugis & filiarum tuentur, ciuibus excidium imminens prædicunt. Ipſe cum ſuis manu angelorum educitur incolumis: bona eius omnia incendio communi conflagrant: vxor contra mandatum reſpiciens, in ſtatuā vertitur: oppido Zoari propter ipſum parcitur: facto filiarum ſtulto tota ætate ſua excarnificatur, & vicio atq; errore ſuo exemplum timoris atq; fidei toti poſteritati relinquit. Ab hoc Moabitæ & Ammonitæ, nominis Ebræi hoſtes ſempiterni, procreantur.*

22. AGAR

22. AGAR ANCILLA.

AGAR *Aegyptia, in domo Abrahami ſeruit ſeruitutem, iuncta domini thalamo procreat ei Iſmaëlem filium. Cùm autem ancilla aduerſus heram, verna contra filium herilem agerent proteruius, ſibi promiſſionem arrogantes, detrahere ſtudentes eam Iſaaco, Deus arbiter interuenit, & expelli ex ædibus ambos curat. Agar ab angelo in fuga, conſilium: in exilio, ſolatium accipit: qui & fugitiuæ ſuadet reditum, & de potentia naſcituri filij optata denunciat: vaganti in ſolitudine, ne perire filium inedia cerneret, quē ſub arbore abiecerat, aquæ fontem demonſtrat. Domus Abrahami hoſpitium angelorum fuit, qui cum ipſo, cum coniuge, cum ancilla ſunt locuti. Huic ancillæ & eius filio populus legis à diuo Paulo comparatur.*

23. ISMAEL.

ISMAEL *è ſerua, filius Abrahami, cui hoc nomen Deus impoſuit. Adultus cùm inſoleſceret, hæreditate iniuſtè quæſita excidit, et è domo patris diuino permiſſu eijcitur: abundantia tamen bonorum fortunarumque non caruit. In deſerto expoſitus à matre, plorans exauditur à Deo, & Angeli præſidio conſeruatur. Adoleſcentiam in montibus & ſiluis Arabiæ tranſigit, donec ex*

Aegypto vxorem duceret, è qua principes duodecim generat: alijs robore & audacia formidabilis, ipſe nullius metuens vires aut potentiam. Ad patris Eccleſiam ſe adiungit, & funus eius vnà cum fratre procurat. Ab hoc Midianitæ, & Arabes, & poſtea Chriſtiani nominis hoſtes acerrimi, Saraceni, ducere ſe proſapiam gloriantur, & religionem Chriſtianæ aduerſam defendunt, diſcipuli crudeles Mahometi.

24. ABIMELECHVS REX.

ABIMELECHVS *rex Palæſtinorum in Geraris, primùm vxorem Abrahami, deinde Iſaaci, vtriuſq; ſororem eſſe arbitratus, in ſuam familiam tranſtulit: ſed errore ſuo cognito, maritis ſine infamia atq; mora, non tamen ſine exprobratione ſimulationis & ſilentij noxij, eas reddidit. Tempore difficilimo famis, hoſpes & nutritor Eccleſiæ hic rex manſit, & quia à ſeruis ſuis, propter obrutos & ademptos fontes, offenſi viri ſancti erant: ne iniuriam vindicarent, cum vtroque, pro ſe ſuiſque poſteris, fœdus religioſè ſancit. Deum in ſomnio habuit concionatorem.*

25. MAMBRES ET EPHRON.

MAMBRES

MAMBRES *Amorrhæus*, & *Ephron Hethæus, hoſpites Eccleſiæ Dei, & auditores ac ſocij Abrahami: parati ac liberales ad vitam & facultates ponendas, pro ſuo doctore atque amico. Mambres enim cum ipſo pugnauit contra reges latrones: Ephron ei agrum ſuum dono obtulit. Abrahamus verò ne ingratus aut grauis eſſet, fidis ſibi coniunctisque hominibus: prædæ partem ex hoſtium ſpolijs Mambri eiusq; ambobus fratribus concedit, & Ephroni pro agri modo debitum appendit precium.*

26. ELIEZER.

ELIEZER *Damaſcenus, ſeruus atrienſis & procurator domus Abrahami, propter ſterile domini coniugium, benedictionis & bonorum eius, vel per adoptionem, vel per alias vias particeps fieri cogitauit. Sara ad illum impediendum, ancillam Agarim marito collocat. Abrahamus cùm prole duplici auctus eſſet, ſeruus eam cogitationem depoſuit, eſtq; modeſtè herum ſuum reueritus, & ab eo amandatus in Meſopotamiam, ad quærendam filio vxorem, ea legatione perfungitur ſingulari pietate, fide, induſtria.*

27. BATHVEL.

BATHVEL *Syrus, filius Nachoris, Rebeccæ*

filiam, non educauit delicatè aut in ocio: ſed laboribus aſſuefecit domeſticis. Eam Eliezer filio Abrahami ſponſam cùm peteret, Bathuel conditionem accipit, ſed eam ferre non vult, non explorata prius puellæ voluntate: quæ cùm propinquis verecundè annuiſſet, adoleſcenti agnato deſpondetur abſens, & peractis magnificè ſponſalibus, cum nutrice Delbora & ancillis pediſequis, in Chananæam deducitur.

F Debora

28. ISAACVS.

ISAACVS *è corporibus emortuis, præter naturæ atq; ætatis rationem & ordinem naſcitur: in adoleſcentia patri ſuo Abrahamo vſq; ad iugulum pâret, & impoſitus rogo vibratum in ceruices ſuas acinacem, non expaueſcit. Promiſſiones à Deo non minus amplas, quàm pater accipit, ſed cùm eſſet in ſolo promiſſo hoſpes, fide declarauit aliam ſe patriam certiorem & beatiorem expectare. In Geraris habitantem, rex Abimelechus inuidia, regij miniſtri iniuria expellunt. Priuatam verò quietem illi turbant, Eſauus filius importunus, & Hæthææ impiæ nurus: ad quas acerbitates acceſſit in peregrinatione ſedes incerta, in ſenectute cæcitas. Reditus filij Iacobi è Meſopotamia, cum nuribus pijs, illi quidem ſolatium attulit, ſed mox & propter nepotum flagicia affectus triſticia fuit: & propter orbita-*

tem

tem Rachelis et raptum Ioſephi, vehementer doluit. A filijs ſuis duobus in patrio monumento conditur, anno ætatis centeſimo & octuageſimo. Hic typus electionis & ſaluationis proponitur à Paulo.

29. REBECCA.

REBECCA *vxor Iſaaci, multæ virtutis & formæ luculentæ virgo: domi obſequendo parentibus, & rem curando familiarem, vixit in timore Dei: iuncta viro, cùm fuiſſet annos viginti ſterilis, mariti precibus, & fide ardente prolem impetrat, vnoq; partu gemellos enititur. Diuinum autem attentè obſeruans oraculum, grauida enim Dominum conſuluerat, à natu maiore filio primatum & benedictionem, aſtu fraudulento auertit. Hæc matrona optima virum ſenem & cæcum curauit fideliter, filium periclitantem ſeruauit piè, nurus acerbas longo tulit tempore moderatè, familiam copioſam gubernauit prudenter: ſuæ domus columem, & totius Eccleſiæ lumen.*

30. ESAVVS.

ESAVVS *Iſaaci filius, corpore piloſus & ruffus, ideoque Edom cognominatus: moribus truculentus & vehemens, ſtudijs venator &*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

agricola, victu luxurioſus & vorax. Patris animum ſimulatione ita ſibi deuincit, vt ipſi eſſet chariſſimus. Rediens ex agro puluerulentus & feſſus, primatum ſacerdotij atque regni, hominis prophani & impuri animo vendit, & pro obiecto pulmento abligurit: ad honores ereptos cum lacrimis aſpirans denuo, eos non recipit. Frendẽs indignatione & odio, fratri mortem minitatur: in contemptum matris, filias gentiliũ connubio iungit, patris cæci auget ægrimoniam, ad quem leniendum aliam ſibi vxorem quærit, patrui ſui filiam: in familia parentum imperitat ſuperbè, & cum maleficio. A fratre redeunte è Syria, placatur muneribus, cui pacificus occurrit, & eidem locupletato, ſedem relinquit in Chananæa. Ipſe fugatis Horræis, loca montana Seiris vi occupat, à quo gens Idumæorum, populo Dei ſemper infeſta, nomen atq; opes comparauit.

31. IOBVS.

IOBVS *è poſteritate, vt alij Nachoris, vt alij Eſaui, inter Idumæos infideles, innocenter: inter vſitas impios, ſine repræhenſione viuit. Oculus cæcorum, pes claudicantium, tutor pupillorum, pater pauperum. Priuatur vno die liberis vniuerſis, ruina domus: ſpoliatur per Arabes & Chaldæos omnibus pecoribus & iumentis. Traditus Sathanæ vexandus, vlcere tetro & pruriente,*

ente, toto corpore affligitur, oppreſſusq́; immenſis & animi & membrorum doloribus, ſubſannatur ab vxore, exagitatur ab amicis. Inter mala tot tantaq́; vincitur quidem nonnihil impatientia, ſed abſoluitur diuino iudicio, quia maliciam diaboli ſuperbam, fide humili ſuperabat. Exemplum integritatis & perſeuerantiæ proponitur Eccleſiæ, à Prophetis atque Apoſtolis. Tandem ærumnarum liber & vacuus, Deo propitio, ea bona quæ amiſerat, dupliciter recipit, & ſobole formoſiore, augetur, non tamen, vt in cæteris bonis, duplicata, prior enim in Dei adhuc manibus viuebat, quamuis fuerat extincta mundo.

32. LABAN.

LABAN *Syrus, Iacobi auunculus, homo turpis auaricia, abominandus calliditate, improbus perfidia: nullo lucro ſatiatur, nulla copia expletur, nullo beneficio mitigatur. Sororis filium greges ſuos curantem, propter fidem & diligentiam, generum legit, eumq́; & in collocanda filia, & in mercede numeranda, ſemper fraudat. Abiecta agnati, ſoceri, patris, aui affectione, amitinos & affines inter ſe committit, deinde etiam fratrum & ſororum animos coniunctos diſtrahit. Iacobus ab eo plurimos annos deſpicatui habitus, Deo iubente, furtim cum ſua fami-*

lia aufugit: quem ſocer turmis armatis perſequens, retracturus vt mancipium erat, niſi monitu Dei cohibita fuiſſet præceps inſania. Poſt acerbas expoſtulationes fœdus inter ſe feriunt, & extructo aggere in monte Gilcado, in perpetuum illius vinculi teſtimonium, locum nouo nomine deſignant.

33. LIA.

LIA *Labanis impij honeſta filia, amitino ſuo Iacobo aſtutè eſt conciliata, fraudulentè tradita. Hæc propter lippitudinem, minus chara marito: propter fœcunditatem, ſorori inuiſa eſt. Ipſa verò minimè moroſa aut querula, à matronæ patientis & modeſtæ officio non recedit, contemptumq; et inuidiam fert ſubmiſſè. Mortua ad tumulos Saræ & Rebeccæ colligitur. Mater Iudæ fuit, à quo & tribus peculiaris, & tota gens Iudæa appellatur, & ex eius ſanguine atque ſtirpe tandem Meſſias Chriſtus naſcitur.*

34. DINA.

DINA *Liæ filia, annis atq; forma tenerrima, extra domum maternam die ſolenni obambulans, ſpectandarum virginum & feſtiuitatis gratia, ab adoleſcente regio viſa, rapta, ſtuprata eſt. Pater adoleſcentis deprecatus pro culpa filij ſui, eam*

eam coniugem à Iacobo patre impetrat. Fratres Dinæ ſimulato fœdere,paulò pòſt iniuriam vlciſcuntur,& vrbe regia funditus euerſa , ſororem eripiunt. Dina leuitate puellari ſeipſam pudicicia,multos mortales vita ſpoliat.Hanc ſuo(vt D. Hieronymus)agnato Iobo, datam poſtea coniugem ; Philo ſcripſit : iniquam erga virum miſerum atq; afflictum fuiſſe,è ſacra conſtat hiſtoria.

35 RACHEL.

RACHEL *filia altera Labanis,& facie & moribus puella præſtantiſſima , pecoris paterni cuſtos. Hanc primo aſpectu Iacobus amare incipiens,pro ipſa annis ſeruit quatuordecim.In matrimonio,quòd ſorori inuideret, diu eſt infœcunda : ſed ipſius tandem Dominus miſertus , eam filio præclaro ornat. E᾽ domo patris cum marito clàm diſcedit , & eius ſimulachra & penates aſportat, & commento muliebri eos inueſtigantem, eludit & moratur , non ſine vitæ periculo. Migrans è Bethele in Bethlehemam, partus difficultate in itinere moritur : cui coniunx eodem in loco & lacrimas dedit,& titulum poſuit. Inualuit mos apud Ebræos, cũ fauſta precaturi eſſent nubentibus , vt felicitatem ſororum Rachelis & Liæ precarentur.*

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER SECVNDVS

Eccleſiæ per miſeriam propagatæ.

36. IACOBVS.

IACOBVS *Iſaaci filius, homo placidus & ſimplex, obſeruans Dei, ſuorum amantiſſimus. A fratre ſecuro ius primatus emit, & ſedulitate matris benedictionem conſequitur. Mirum hic patriarcha Eccleſiæ exemplum. pulſus domo, fratris ſui minis, noctu in agro dormiens, conſpectu Dei fruitur: preſſus ſeruitute ab auunculo ſoceroque, Deum ſibi præſentem eſſe ſentit: reuertens in patriam, cum ipſo Deo luctatur & vincit: in quo certamine luxatur femore, ſed triumphat fide: in ſuis itineribus non ſemel agmina Angelorum obuia habet. vir Deo tam charus, & propè familiaris, luget vxorem Rachelim, ereptam morte, Bilham ignominia. Deplorat filiæ Dinæ violentum ſtuprum, filiorum Simeonis & Leui ſæua homicidia, Rubenis & Iudæ turpes inceſtus,*

omnium

omnium ſimul in vendendo fratre ſceleratum odium. Cruciatur patris cæcitate, obitu Liæ, raptu Ioſephi, vinculis Simeonis, orbitate Beniaminis. Ad extremum inedia preſſus & fame, migrat in Aegyptum. In externa prouincia amatur à rege, honoratur a plebe, alitur à filio. Confectus ſenio, filiis ſuis & duobus nepotibus ventura prædicit, dira reis, bona precatur melioribus. Moritur anno ætatis centeſimo quadrageſimo ſeptimo, tranſportatur magnificè ab Aegyptijs, ſuſcipitur reuerenter à Chananæis, & ad aui patriſque monumenta colligitur, cum quibus de naſcituro Meſſia ex ipſorum lumbis, promiſſiones lætas & ampliſſimas audiuerat in quibus Dei filius Silo appellatur, nouo nomine. Vnde Deus ipſe omnipotens, ſe Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi nominat, cùm ſuam magnificentiam & veritatem hominibus vult declarare. Hic vir ex ijs vnus eſt, qui ærumnas maximas protulerunt fide, ſuperarunt patientia.

37. RVBEN.

RVBEN *primus Iacobi filius è Lia, excellentia donorum atque imperij, inter fratres præcipuus, ſed propter thorum patris inquinatum, & dona effundit, & amittit imperium. Ioſephũ adoleſcentem cùm fratres occiſuri eſſent, illorum facinori*

facinori nefario ſolus obſtitit, & mittendum in ciſternam ſuaſit, eo conſilio, vt viuentem eriperet, & patri reſtituens, gratiam ſibi eius, quantum poſſet, reconciliaret. Pœnam incœſtus, cum Bilha commiſſi, luit in tota poſteritate. nam tribus illa, numero ſemper exigua, & viribus minus potens cæteris fuit. Nati ex hac tribu ſunt propheta Iohel, & vidua Iuditha, victrix Olofernis.

38. SIMEON ET LEVI.

SIMEON *& Leui, Iacobi & Liæ filij, homines audaciſſimi, & patri ſuo obſtinatè aduerſi, nimia iracundia ſtuprum ſororis crudelius vindicant, quàm ipſos decebat. Fœdere enim quod aſtutè pepigerant, violato, regem Sichemitarum occidunt, vrbem depopulantur, bona poſſident. In fratre Ioſepho occidendo, primas immanitatis partes ferunt, & veſte, quæ tabo hircino polluta erat, ad patrem delata, ſenem miſerrimum tantùm non iugulant. Eorum poſteritas inops & vaga perpetuò fuit: Simeon partem poſſeſſionis in tribu Iudæ conſecutus eſt: Leui proprium omnino nihil habuit, ſed ſors eius ad fratris Ioſephi filium Manaſſem transfertur. E' tribu Simeonis cenſentur propheta Zephonias, & Ozias dux Bethulienſium. E' turba Leui deſpicatiſſima,*

Deus

Deus ſibi miniſtros & ſacerdotes legit: & ex ea celebrantur prophetæ Moſes, Samuel, Ieremias, Nahumus, Hezechiel, Zacharias, Iohannes Baptiſta. Deus ſua ſponte miſeretur omnium, neque cuiquam obſtant ad gratiam, maiorum flagitia: neq; quenquam cœlo excludit, indignitas ſua. Poſt hos filios Iacobus pater nulli amplius imprecatur, quia miſericordia Dei præponderat iudicio.

39. IVDAS.

IVDAS *quartus Iacobi filius, fratrem Ioſephum ne occideretur, ſeruauit: fratrem alterum Beniaminem ſuæ vitæ periculo, liberare ſeruitute voluit. Duxit vxorem Hiræ Chananæi filiam nomine Suam, è qua malam progeniem ſuſtulit. nā duos eius filios ætate nondum iuuenili Deus extinxit. Mortua vxore nurum ſuam Thamarim inſciens opprimit. Iudæ ampliſſimos honores precatur pater moriturus, dignitatem inter fratres, victoriam de omnibus hoſtibus, ſedem primam in Eccleſia. proditurum enim de ipſius femore ſeruatorem Meſſiam, qui ſit futurus populi ſui ſalus, & gentium expectatio. Ab eius nomine populus vniuerſus, Iudæi: pars Palæſtinæ nobiliſſima, Iudæa eſt appellata: & tribus Iudaica regnum vſq; ad tempus Chriſti venturi durauit. Ex hac tribu ſunt Iacobus & Iohannes Apoſtoli, &*

li, & Iacobus frater Domini dictus à Luca, & eiuſdem fratres Iudas Lebbæus, & Simon Cananæus.

40. DAN.

DAN *Iacobi filius, è famula Rachelis Bilba natus, catulo leonis, & colubro in via comparatur, habitauit in parte Beniaminis, iuxta mare. Poſteritas eius felix & potens fuit, & eam tribum illuſtrauit Simſon, dux fortitudine & aſtutia admirabilis. Ex eadem tribu geniti perhibentur Maccabæi, patriæ, religionis, libertatis vindices interriti. Tribus iſta ſemel à Deo deſciſcens, idolum quoddam coluit omni illo tempore, quo arca Dei in Silone fuit. Hanc tribum Apoſtolus omittit in libro Apocalypſis, cuius cauſam fabuloſam nonnulli reddunt, quod ſit ex ea naſciturus Antichriſtus.*

41. NEPTALIM.

NEPTALIM *alter è Bilha filius, cuius tribus regnum Iabini, & Galilæam tenuit ſuperiorem, monti Libano & agro Damaſceno contigua: quæ à vicinis Syrijs ſæpe bello & incurſionibus tentata, Dei beneficio, tanquam cerua è laqueis venatorũ euaſit: & periculis liberata, inuocationem & gratiarum actionem, eloquia pulcher-*

pulcherrima,non prætermiſit. Ex hac tribu Delbora prophetiſſa, cuius conſilio Siſara Chananæus interfectus: & Tobias,qui & liber in patria, & in Aſſyria ſeruus, vitam duxit nulli reprahendendam. Ex eadem Petrus, Andreas, Philippus, Iohannes Euangeliſta, quibus addit Africanus Matthiam, in locum proditoris electum.

42. GAD ET ASER.

GAD *& Aſer filij Iacobi è Silpa, Liæ ancilla, quorum poſteri viri acres & magnanimi fuerunt: de quibus nemo victorias deportauit lætas & incruentas. Terræ ſolum poſſederunt bonum atq; fertile. E' tribu priore oriundus eſt doctor excellentiſſimus, Elias propheta: ex altera, Anna Phanuelis filia, prophetiſſa, quæ Meſſiam, natum hominem, in templo eſt amplexata.*

43. ISASCHAR ET ZEBVLON.

ISASCHAR *& Zebulon, poſtremi è Lia Iacobi filij. Poſteri Iſaſcharis reliquis tribubus quaſi circumuallati, terramq; amœniſſimam conſecuti, pacis erant ſtudioſi: ideo quietis & tranquillitatis cauſa, ſeruitutem atq; iugum tolerabant*

bant facilius. Poſteri Zebulonis, quia loca colebant maritima, otium deſidiamq; peroſi, vacabant negotiationibus, & reſiſtebant potentibus vicinis. Huius tribus alumni, Ionas propheta, qui Aſſyriorum imperatori, de ira Dei concionatus eſt, vrbemque regiam ad vitæ & morum emendationem inſtigauit: Item Matthæus & Thomas Apoſtoli.

44. IOSEPHVS.

IOSEPHVS *Iacobi & Rachelis filius, curæ quidē & ſolatio patri, ſed fratribus odio tædioq; fuit. Erant in eo dona excellentia, fides, pietas, ſcientia diuinandi, obœdientia, caſtitas, patientia. A' Deo, cuius amore ſincero flagrabat, in nullo vitæ periculo deſtituitur. ſapientia enim Dei eum liberat ab impijs fratribus, conſolatur in ciſterna, extollit in ſeruitute, cuſtodit à proterua domina, honeſtat in penuria, exhilarat in vinculis. Mente cognoſcit magna & præſaga ſe fore ſuorum aliquando principem atque altorem. In carcere Aegyptiaco aulicis captiuis, euentura prænunciat, regem barbarum & principes externos de Deo docet: & ſapientia celeſti inſtruit, pater Pharaonis, & ſeruator Aegypti nominatur, ornatus byſſo, & auro, & curru inſigni vectus, locum à rege ſecundum, & anuli curam accipit, anno ætatis ſuæ trigeſimo. In ſumma dignitate*

gnitate non ſuperbit, regem obſeruat, multitudini proſpicit, inimicis ignoſcit, patrem alit, fratres ditat, in Eccleſiæ prouinciam regnum Aegypti redigit: veriſſimus vates, ſanctiſſimus doctor, optimus princeps, ſuæ gentis ornamentum, alienæ firmamentum. Chriſti inter latrones, imago in carcere, & mox eiuſdem reſuſcitati, in dignitate. Moriturus filijs & fratribus mandata de oſſibus ſuis relinquit: quæ Moſes ex Aegypto trans tulit, Ioſua ſepulchris maiorum in Chananæa intulit. Reges Iſraëlis, qui tenuerunt Samariam, à ſtemmate ipſius ſunt propagati.

45. BENIAMIN.

BENIAMIN *minimus natu Iacobi filius, non in Syria, vt fratres cæteri, ſed in Chananæa natus eſt: in cuius enixu Rachel moritur. Obſes in Aegyptum mittitur, patris dolore ingenti: pro eo patri dimittenti ſpondet Ruben, fratri retinere cupienti ſe obligat Iudas. Poſteri eius propter libidinem penè internecione delentur: in diſtractione regni, ea tribus iudicio grauiſſimo Iudæ adhæſit, & ſecundum leges diuinas optimorum maiorum exemplo vixit. In ea hoſpitium habuerunt in Miſpa Samuel, in Anathoto Ieremias, in Ciriathbahal Zacharias. Eiuſdem tribus alumni Ebudus, tertius à Ioſua princeps, Saulus rex Ebræus, & Mardachaius aulicus Aſ-*

ſyrius, & Paulus gentium doctor, & maximus inter Apoſtolos, quem etiam Dauid in ſuo elegantiſſimo vaticinio præuidit.

46. MANASSES.

MANASSES *Ioſephi ex Aſenetha, coniuge Aegyptia filius, ortu quidem prior fratre Efraimo, ſed dignitate longè inferior: non minus tamen ab auo, ipſe quoque adoptatur in filiorum propriorum hæreditatem. nam Leui exauctorato ſtirps Ioſephi ſuccedit. Multa felicitate & gloria honeſtati ſunt Manaſſæ poſteri, qui cùm propter nobilitatem, & opes ingentes ſuperbirent, & cultum Dei ſanctiſſimum nihil curarent, in ſeruitutem perpetuam rediguntur. In tribu iſta domicilium fuit Samuelis in Ramatha, Eliſæi in Dothana, Ioſephi decurionis, qui* CHRISTO *de ſuo monumento ceſſit, in Arimathæa.*

47. EFRAIMVS.

EFRAIMVS *alter Ioſephi filius, patre renitente, primogenita ab auo adipiſcitur, & excepto Iuda omnium exiſtit florentiſſimus, potentia tamen & amplitudine imperij, plurimum ſuperat. Eius poſteri gloria famaq; maiorum elati, & impatientes ſeruitutis Aegyptiacæ,*

&

& ſuis excutere viribus iugum tentantes, terram ſibi promiſſam iniuſti inuadunt: ſed Deo aduerſo prælíantes, clade magna ſternuntur, & præda illis pecorum hominumque omnis adimitur. Temporibus ſequentibus pari auſu Gideoni & Iephthæ ducibus ſe per tumultum opponunt. Tandem regnum Samariæ conſtituunt, quod quidem legibus, diſciplina, inſtitutis fuit cum ſapientiſſimis atq; optimis conferendum: ſed ſuſtinuit cum alijs tribubus nouem, quæ ſeſe illi adiunxerant, corruptæ religionis infamiam. Ad inſtaurandum placentem Deo cultum, in id regnum mittuntur prophetæ præter alios eximij: Elias, qui annos circiter viginti: Eliſæus, qui ſeptuaginta: Hoſeas, qui octoginta docuit. Viros illos Dei cùm feri & impij reges, & pars multitudinis maxima ſperneret, regnum illud Aſſyrij funditus euertunt: regem, principes, nobilitatem, populum ſine vlla ſpe libertatis, in colonias barbaras vltra flumen Euphratem diſpergunt. In exilio nullus amplius propheta illis miſſus eſt, et doctrina cœleſtis in familijs paucis manſit: quales Tobiæ & Raguelis memorantur.

48. THAMAR.

THAMAR *Chananæa, maritis duobus abſque prole defunctis, in domum patris remittitur, donec ad ætatem iuſtam adoleſceret*

tertius Iudæ filius: cui ſecundum legem ſucceſſionis, & ſuſcitandi ſeminis, vidua deſpondebatur. Ipſa oblitum promiſſi Iudam ſocerum, cupiditate prolis, non libidine iuuentutis, ingenio doloq; muliebri circumuenit, ex eoq; neſciente atq; ignaro fit grauida. Rumore dilato, quod vterum ferret, Iudas pœna eam publica afficere, & rogo imponere ſtatuit: ſed ſui facinoris, arrabone ſignisq;, ipſe conuictus, ſe incuſat, nurum abſoluit. Exactis menſibus certis parit gemellos. & inter mulieres exteras, prima Chriſti auia numeratur.

49. PERES.

PERES *Iudæ filius è Thamari, primatum fratri Zaræ in vtero materno eripit, obſtetricis ſigno & teſtimonio. Tanta eius fuit integritas in moribus. & in cæteris donis eminentia, vt poſteri gratulaturi nouis coniugibus, domus Peris felicitatem optarent, ab eo Perezitæ nominati. Eius filius Eſromus, nepos Aramus, pronepos Aminadabus, in genealogia Dauidis & Chriſti collocantur.*

50. POTIPHAR.

POTIPHAR *Aegyptius, è regijs curatoribus præcipuus, Ioſephum emit à mangonibus Iſmaëliticis: cuius ingenio, induſtria, integritate*

aritate explorata, rem ſuam familiarem omnem adoleſcenti committit. Quamuis autem & in domo & in agris, Ioſepho procurante, domini bona augerentur plurimùm: tamen præter panem, homini gnauo ſeruoque ſpectato, aliam nullam mercedem præbuit: accuſatum ab vxore procace crimine falſo, in carcerem aulicum detruſit. Tandem & ipſe crudelitatis, & vxor laſciuia pœnas dederunt. Deus enim Ioſepho & contra oppreſſores potentiam tribuit, & eius calumniatores, celebri innocentiæ teſtimonio, mendacij conuicit.

51. PHARAO PIVS.

PHARAO *Amoſis, rex Aegypti eximius nullum è Magis inueniens verum coniectorem aut ſomniorum interpretem, Ioſephum è vinculis, in quibus annos iam tredecim exegerat, educit. Adoleſcentem prudenter reſpondentem honoribus afficit: bene conſulentem audit: præmijs maximis extollit: mundi ſeruatorem, & patrem ſuum nominat: gubernationem omnium prouinciarum ei committit: ſummi ſacerdotis Heliopolitani filiam conciliat. Eiuſdē conſilio & arbitratu imperans, doctrinam cœleſtem diſcit & propagat, reditus & immunitatem ſacerdotibus conſtituit, nationes vicinas famis tempore ſuſtentat, pijs aduenis agrum fertiliſſi-*

mum diuidit: nutricius & hoſpes Eccleſiæ liberaliſſimus. Doctoribus duobus hic rex vſus eſt, Ioſepho & Iacobo: illius ſapientiam admiratur, huius benedictionem amplectitur, factiſque demonſtrat, nihil ſibi in terris, illa principe doctrina de Deo, charius eſſe & optatius.

52. PHARAO IMPIVS.

PHARAO *Cenchres ſeu Buſyris, à Dauide propter inſolentiam dictus Superbus, rex Aegypti, animaduertens mirabile populi Iſraëlitici incrementum, eiuſque vires & defectionem veritus: totam illam gentem cogitauit exinaniendo perdere. Varijs tentatis vijs, ſpe ſua deluſus, mandat obſtetricibus, vt infantes maſculos in nixu interficerent, quod cùm illæ facere horrerent, mandato edicit, vt in Nilum nati maſculi proijcerentur, quod totis annis triginta factum eſt. Populum præterea oneribus non tolerandis preſſit, ergaſtulis & verberibus coërcuit, ſeruitute duriſſima afflixit. Admonitus portentis & prodigijs, ſeipſo fit contumacior. Deus cùm liberare ſuos, & leuare ærumnas Eccleſiæ vellet: ab Aegyptijs auro, argento, & veſte precioſa mutuò ſumpta, fugere ſuos iubet, vltra ſexcenta armatorum millia, exceptis vxoribus & liberis, & ſeruitijs ſe illis adiungentibus. Eos Pharao*

rao cum ſelecto exercitu, & cupida vindictæ gente inſequens, & mare rubrum, quod populo Dei ex vtroque latere, quaſi in montes erectum, viam præbuerat, ingreſſus: cum copijs omnibus, ne vno quidem homine ſuperſtite, æquoris procella et impreſſione, funditus obruitur, atque ſubmergitur.

53. SIPHRA ET PHVA.

SIPHRA *& Phua obſtetrices, matronæ optimæ & cultrices Dei, cùm propoſitis præmijs infantes Ebræos, in vtero enitentium, ſuffocare iuberentur, cum ipſarum matrum ingenti periculo: ab edicto crudeli abhorrent, magisque Deum omnipotentem, quàm regem minabundum pertimeſcunt. Accuſatæ mandati neglecti, verbis ſimulatis regem decipiunt, & ſuam ipſi excuſationem prudenti oratione probant. Itaque Deus fœminas humaniſſimas à tyrannide defendit, & earum æſtimationem atque opes, poſteris quoque ipſarum benignè faciendo, mirandis modis auxit.*

54. AMRAMVS.

AMRAMVS *filius Caathi, nepos Leui, amitam ſuam; Iochebedam vxorem ducit:*

è qua Aaronem & Moſen filios procreat. Preſſus vnà cum ciuibus alijs, ſeruitute regia, Moſen filium trimeſtrem, à matre abſconditum, cælare diutius non potuit, ſed eum Mariæ filiæ ſuæ dedit exponendum. Hæc infantem in fiſcellam ſcirpeam, pice bitumine oblitam, incluſum, in papyreto fluminis Nili deponit, eo tempore atq; loco, quo regis filia ibidem inambulare & lauare conſueuerat. Maria expoſito infante procul obſeruat, & euentum ſolicitè expectat, quem filia Pharaonis vagientem audiens, ex vndis effert, & officio Mariæ vſa, alendum matri propriæ committit. Moſes ab aquis nomen accipit, & in aulam adoptatus, filius filiæ Pharaonis appellatur.

55. AMINADABVS.

AMINADABVS *pronepos Peris, nobilitate domus Iudæ, & affinitate domus Leui, celebris. nam Aaroni, filio Amrami primogenito, filiam ſuam Eliſebam in matrimonium collocat. Inter eos igitur qui & generis claritate, & promiſſionis fiducia excellerent atq; probarentur, habitus fuit præcipuus.*

56. NAASSON.

NAASSON *Aminadabi filius, Aaronis affinis, dux tribus ſuæ à Deo eligitur. In*

deſerto

deſerto Sinaico ad tabernaculi aræq́; dedicationem, dona loco principe offert. In ſuo magiſtratu vir vtilis Eccleſiæ eſt, annos duo de quadraginta: verùm in finibus regionis Moabiticæ, ad quos rex Balachus, vatis Bileami conſilio, ſpecioſiſſimas quaſq; puellas proſtituerat: ipſe cum alijs, nec à gentilium ſacris & fornicatione abſtinuit: nec populum vt abſtineret, auctoritate auertit. Quocirca cum vndecim tribuũ reliquarum principibus, lata à Deo ſententia, in crucem agitur. Eius filius Salmon, Ioſuæ explorator fuiſſe perhibetur, qui hoſpitam ſuam Rachabim Hierichuntinam ducit vxorem.

57. IETRO.

IETRO, *dictus alio nomine Reguel, ſacerdos Midianitarum, Moſen exulẽ hoſpitio accipit, eiusq́; virtute atq; eruditione perſpecta, Ziporam ei filiam, vxorem iungit. Vocato in Aegyptum Moſe, filiam ad ſe recipit, quam ad generum cum potentia reuertentem, gratulabundus adducit, & pro eius ſalute holocauſta & hoſtias Deo offert: præterea ſalutare conſilium eidem impertit, vt ſibi viros ſapientes, pios, veritatis amantes, & incorruptos adiungat, quò facilius onus adminiſtrationis ſuſtineret: cui Moſes obſecutus, nouos magiſtratus ciuiles creat, & munera publica diſtribuit, & in claſſes populum di*

uidit, vt multitudo tanta minore moleſtia gubernaretur, & ſingulorum commodis magis conſuleretur: ipſe res ad Deum pertinentes, expediret, & ſummæ adminiſtrationi præeſſet quietius.

58. ZIPORA.

ZIPORA *Ietronis ſacerdotis filia, Moſis vxor, propter religionem patriæ ſuæ falſam, & Deo vero, & marito viro ſancto aduerſatur. Natum ſibi filium circumcidere noluit. quare cùm & Dei mandatum non curaret, & celerem mariti profectionem tardaret: in itinere angelus Dei Moſi occurrit, ipſumq; in diuerſorio ceſſantem, & coniugi impotenti indulgentem, voluit occidere. Zipora calamitate præſente territa, filium patitur circumcidi, ſed propter ſæuiciam legis conuicium marito faciens, eum deſerit, & in domum patris repedat. Moſes cùm ex Aegypto rediret, triumpho inaudito, vxor ad eum cum filijs duobus reducitur, & auctoritate patris eidem reconciliatur.*

59. OBABVS.

OBABVS *Ietronis filius, nomine alio dictus Cineus, cum Moſe affine per deſertum proficiſcitur: quem abire à ſe parantem magnis pollici-*

pollicitationibus retinet. Relicta igitur domo ſua atque gente, populum Dei ſequitur, eique hominum locorumque gnarus, non parum commodat, in itinere difficili & longo. Ex huius ſtirpe fuit Heber, Iahelidis maritus, quæ Siſaram Chananæum clauo ferreo occidit dormientem. Gens Cinæa, Obabi huius poſteritas, à Saule rege conſeruatur, iuſſu Dei, cùm populum Amalechitarum deleturus eſſet: tandem cum decem tribubus in ſeruitutem abigitur ab Aſſyrijs, quod vates Bileamus multos ante annos denunciauerat.

60. MOSES.

MOSES *è tribu Leui infans in ripa Nili repertus, à Pharaonis filia, hoc nomen accipit, dictus à parentibus Ioachimius, vt Clemens auctor eſt: ſed nomen patrium amiſit, miraculoſum retinuit. In domo regia delicatè nutritur, & in omni Aegyptiorum ſapientia præclarè inſtituitur. Habitus illuſtris in aula, cum populo Dei malis affici maluit, quam bonis perituris cũ peccato frui: maiores ratus diuitias probrum Chriſti, quàm theſauros Aegyptiorũ, vt epiſtola ad Ebræos loquitur. Ad populum liberandũ euocatus ex agro, multa et inuſitata in Aegypto edit prodigia. Eo duce Deus ſtare fecit aquas, ſicut montes: et populum per mare rubrum comitatus eſt, & inſequentes hoſtes in profundo tanquam plumbum*

plumbum demerſit. In deſerto agitatus ſeditionibus domeſticorum,agnatorum,tribulium,& petitus lapidibus à vulgo, Dei potentia ſemper defenditur, ab omnibus aduerſarijs inuictus. Pro populi ſalute expungi vult è libro vitæ,& nouis miraculis Dei præſentiam probat, & cum Deo quaſi familiaris colloquitur: humano corpore.in Orebo & Sina montibus: cœleſti facie.in monte Thabore ſermones cum Chriſto confert. Cenſum populi in deſerto agit bis, ſemel cum Aarone,ite rum cum Eleazaro.Legem Dei promulgat,ritus ſacrorum docet, formam iudiciorum conſtituit: annis totis quadraginta fungitur moderamine, quanto nullus vnquam mortalium functus eſt. In locum promiſſionis non venit, ita vti ad cœlum lex deducit neminem: ſed tamen regionis Chananææ ſitum amœnum,Deo procul monſtrante,videt in monte Nebo: in quo morte ſublatus, à Deo ipſo ſepelitur.Pro eius corpore contra Satanam certauit Michaël Angelus. Hic vir moribus mitiſſimus,in ſuo imperio afflictiſſimus, Deo hominibusq; carus: nec eum ſequitur propheta alius, qui viderit Deum magis præſentem: nec ante ipſum,alterius ſcripta nota ſunt Eccleſiæ,in quibus omnis ſapientiæ & doctrinæ fontes continentur, omniaq; diuinæ voluntatis teſtimonia, & ab vltimo principio omnis antiquitatis veritas extat. In officio & munere prophetico, demonſtrator Chriſti eſt:in ſuo proprio, mortis & damna-

damnationis miniſter,rectè appellatur. Vixit annos centum viginti,trigeſimo die antè, quàm Ioſua Chananæam ingrederetur, à Deo ſubtrahitur & transfertur, in regione Abari,terræ Moabiticæ. Linguæ fuit impeditæ, quia lex apertè ſatis non loquitur.

61. POPVLVS IN MARI.

IACOBI *poſteritas iugo penè intolerabili preſſa ab Aegyptijs eſt, fodiendo picebitumine, & beſalis ducendis. Rex Pharao prodigijs & plagis inſolitis decies territus, quos dimittere rogatus noluerat, vi tandem extrudit. Liberatus ex ergaſtulis populus, auro & ſuppellectile Aegyptiorum, quæ mutuatus fuerat, ditatur, & mercedem à Deo accipit, quam hoſtes negauerant. Id indigniſſimè ferens Pharao, vt deleret vniuerſos, omni nobilitate, omnibus opibus fugientes, inſequitur. Erat à tergo hoſtis iratus, à lateribus altà montium præcipitia, à fronte mare impenetrabile. In tantis anguſtijs populus quiritatur, & accuſat ducem Moſen: qui magno animo ipſos conſolatur, & Dei fretus numine atque clementia, euentum optabilem pollicetur. Noctu inter caſtra Iſraëlitica & Aegyptia, filius Dei egit excubias: die inſequente, ſiccato profundi alueo, populum cum vxoribus & liberis, & impedimentis,*

mentis, incolumem traducit. quod Pharao cernens, furioſus inſequitur cum equitatu & curribus: ſed rotas detrahit filius Dei, & Aegyptiorum equitatum fluctibus vndarum clade interneciua obruit. Armis ciectorum in litus corporum, populus Iſraëliticus accingitur, & ſpolijs triumphans lætatur.

62. MARIA.

MARIA *Amrami filia, Moſis ſoror, fratrem infantem exponit, & matri alendum iuſſu reginæ reportat: Spiritu prophetico prædita, poſt ſubmerſum Pharaonem, cum alijs mulieribus, quæ ſaluæ cum ſuis vndas maris & terrorem vicerant, Deo cecinit epinicion. Hæc contra fratrem, propter vxorem eius Tharbim Aethiopiſſam, inſolenter & acerbè loquitur: qua temeritate offenſus Deus, ipſam ſcabroſo lepræ morbo deformat, quæ diebus ſeptem excluſa à multitudine, ad preces fraternas, priſtinæ valetudini & nitori reſtituitur. In vicinia vrbis Cades mortem obit, & in deſerto Sine, tumulum accipit, anno egreſſus ex Aegypto quadrageſimo: ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo ſexto.*

63. AARON.

AARON

AARON *frater Moſis, propter eloquentiam, os fratris balbutientis dictus, coram Pharaone prima edidit prodigia. Moſe abſente & loquente cum Deo, vitulum conflat & erigit aureum, populi clamoribus adactus: eam ob cauſam extinctus fuiſſet à Deo, niſi fratre deprecante, grauem euaſiſſet interitum. Sacerdotium perpetuum cum ſua progenie obtinet: & factione arrogante & inimica prodigioſè deleta, & virga ſiue pinea ſiue amygdalina ſicca, florem nucesq; emittente, Dei teſtimonio confirmatur: ornatu etiam inſigni, quo pulchrior in nulla vſquã gente fuit, decoratus eſt. Fratri ſuo aduerſatur aliquoties, filiosque ſibi rurſus habuit aduerſantes. Terram Chananæorum & ipſe vidit è monte Hore, ſed in itinere moritur, natus annos centum & viginti tres: lugetur toto menſe, à multitudine vniuerſa.*

64. NADABVS ET ABIHVS.

NADABVS *& Abihus, filij Aaronis natu maiores, patris boni & excellentis praua & ambitioſa ſoboles. Eorum manus erant repletæ abundantia & conſecratione ad functionẽ ſacerdotij, et ipſis commiſſa totius religionis et diſciplinæ cura. Viderunt claritatem maieſtatis Dei in nube ſerena & cærulea ſeſe oſtentantis, cùm eſſent adiuncti ſenibus ſeptuaginta, in montem*

Sinam

Sinam aſcendentibus ad audiendam vocem Domini. Atqui & pietatis, & muneris ſui, & gloriæ Domini obliti, patris auctoritatem ſpernunt, & contra legem Dei, munus indebitum vſurpant. Sua igitur contumacia et ſuperbia, vetitum in deſerto ignem adolentes, igne repentino cælitus immiſſo, miſerabiliter conſumuntur. Intereunt ſine liberis, cadauera extra caſtra proijciuntur: tum patri & fratribus, ob eorum mortem, luctus interdicitur.

65. ELEAZAR.

ELEAZAR *tertius Aaronis filius, paterna obœdientia humilis, & ſui ordinis decus ingens, princeps principum Leuitarum creatur, Dei cultum diligenter cognoſcit: cognitum à patre & patruo per omnem vitam intrepidè defendit. Cum Moſe & Ioſua res magnas & Eccleſiæ ſaluberrimas gerit, & cum vtroq; in gubernatione difficilima verſatur ſine repræhenſione & ſcandalo. exercitatus eſt multipliciter, in deſerto, in bellis; in agendo cenſu populi, in diſtribuendis regnis hoſtilibus. Ad honorem ſacerdotij vocatur à Deo, conſecratur à patruo: vita defungitur in Gabaath, & ſepelitur à filijs. Cuſtos doctrinæ cæleſtis, & legis auitæ defenſor, & doctor populi vigilantiſſimus.*

66. PINE-

66. PINEHAS.

PINEHAS *Eleazaris filius, Aaronis nepos, patris auiq; imitator: zelo, fortitudine, prudentia, nemini inferior, Zambriū è tribu Simeonis principem libidinoſum, & ad gentilem mulierculam impudenter commeantem, ſua manu in ipſo facinore interficit: indignatus eſt, & non peccauit: telum contorſit, & Deo placuit: petulantes occidit, & pœnam à populo vniuerſo auertit. Factum eius alij iuuenes pij atque fortes imitati, ad hominum quatuordecim millia ſternunt, qui ſe libidinibus peregrinis inquinauerant. Eſt præterea inſignibus ſacerdotij perpetuus cum poſteritate ſua honoratus. Miſſus dux contra Midianitas, terram eorum depopulatur, agros incendit, reges quinq; ſuperat. Functus legatione ad tribus ſocias trans Iordanem, propter extructam in ripa aram maximam, rectè ſentit, fortiter facit, gratias Deo præclarè agit: vir vtique malis timendus, bonis venerabilis.*

67. BILEAMVS.

BILEAMVS *Syrus, Bæoris filius, è Nachoris poſteritate, ſacerdos pius, & Propheta celebris. Tempore egreſſus populi Dei ex Aegypto, à rege Moabitarum Balacho, ad Iſraëlitas deuouendos precio conducitur. In itinere*

angelus veniens obuiam, eum impedit: & iumentum hominis vocem edens, dementiam eius arguit. Locutus coram rege impio, malè non eſt: pro diris enim auſpicata, pro deteſtationibus bona verba profert. diuinum ſermonem de Meſſia venturo orditur, & vaticinia certa de multorum populorum occaſu depromit. Tandem corruptus mercede iniqua, & illectus auro, vt regem barbarum haberet amicum, tecto & calido ipſum conſilio inſtruit, vt productis mulierculis formoſis, earum pulchritudine & animos & ferrũ populi hebetaret: factus auaricia ſuo iumento ſimilis. Rex ei obſecutus, ſacrificiorum prophanitate, & libidinum laſciuia prouocat Iſraëlitas, vt Deum horribiliter offenderent. Quòd ipſe regi impio adulatus fuerat, inter populum impium, ferro occiditur, & à Petro Apoſtolo exemplum proponitur doctoris execrabilis.

68. CHORES.

CHORES *pronepos Leui; inuidia & ambitione perditus, & gratiæ alienæ captator fraudulentus: cum Moſe & Aarone patruelibus ſuis, de primatu ſuperbè contendit, & tanquam non ferenda eſſet fratrum ſingularis potentia, proceres ſynagogæ in peruerſam adducit ſententiam. Moſes flectere inſanos ab inſtituto conatur*

beneuo-

beneuolentia & minis. ſed cùm neque monendo neque accuſando quidquam efficeret, & ab opibus humanis planè deſtitutus eſſet: ſuam cauſam Deo precibus vehementer commendat, & vt ſuum nomen, ſuamq; dignitatem vindicet, facilè exorat. Chores in ſua amentia & cæcitate pergens, & cum factione turbulenta incenſum adolens, inſpectante populi multitudine, fundamentis terræ dehiſcentibus, viuens abſumitur. Floruerunt è poſteris eius viri lectiſſimi, quorum hymni inter Dauidis carmina leguntur: magno ſolatio omnium, Deum eſſe clementem & propicium, ſiqui parentum malorum veſtigia peruerſa filij non ſequantur.

69. DATHAN ET ABIRON.

DATHAN & Abiron filij Heliabi, nepotes Rubenis, propter patris primogenita ſuperbientes, contra Moſen conſpirant & cum Chore ſe coniungunt: in qua conſpiratione Moſis tribules fuerunt ducenti & quinquaginta, qui partim è conſiliarijs fuerunt, partim è magiſtris ſynagogæ, operum videlicet arrogantia ſpectabiles. Cùm eſſent vnanimi conſenſu incenſa oblaturi, Moſes à Deo petit, ne ad ipſorum ſacrificia reſpiciat, & populo deinceps præcipit, vt qui ſaluus eſſe velit, longè ab eorum

tabernaculis diſcedat, quod contumacibus & ſacrilegis pœna ingens & inſolita immineret. Itaq; omni populo ab ipſis ſegregato, perduntur impetu iræ Dei. Terra enim aperta, ipſos cum vxoribus, liberis, ſeruis, ſuppellectile, tentorijs in profundum abſorbet. Hoc modo ex hominibus exemplo inuſitato auferuntur, viuenteſq; ad inferos horribili pœna deſcendunt.

70. FILIVS SELOMITHIDIS.

SELOMITHIDIS *Ebrææ filius, è tribu Danis patre Aegyptio genitus, in iurgio cum Iſraëlita voces maledicas in ſanctum Dei nomen effutit: quo facinore ad Moſen delato, illum in vincula conijcit, & Dei ſententiam explorat. Iuſſus à Deo blaſphemum de vita tollere, è caſtris eum producit, damnatumque ore teſtium, multitudini obijcit lapidandum. Nomen impiorum perit, & huius maledici expreſſum nomen non eſt: matres verò indulgentes, filiorum vel infamia, vel turpi obitu, tandem in luctum conijciuntur.*

71. POPVLVS IN DESERTO.

POPVLVS *in deſerto peregrinatus, duci ſuo ſæpiſſimè fit contumax, propter impatientiam:*

entiam: ideo in multas ærumnas vicio ſuo incidit. Deum tamen nunquam non præſentem & miſericordem ſentit: qui vt ſitim ſedaret, è fontibus amaris dulces facit: vt famem reprimeret, coturnicibus eum ſatiat: vt querelæ cauſam tolleret, pane cœleſti annis quadraginta alit, & aquis è ſaxo percuſſo demanantibus reficit: vt morbo mederetur triſti, ſæuientibus ſerpentibus, ſolo aſpectu ſimulacri erecti curat. Veſtes ambulantium non detritæ, calcei rupti non ſunt. Pugnantibus contra ſe Amalcchitis: vincit Moſis precibus & manibus leuatis in altum. Audacia vſus contra Chananæos fugatur, & tranſitu prohibetur ab Idumæis, & dementatur libidine à Midianitis. viam ſibi aperit per regna Seonis & Oggi, & Midianitas ferro rurſus vlciſcitur. Ex illa multitudine ingenti, qui ex Aegypto exierant, Calebus tantùm & Ioſua Iordanem tranſeunt: reliqui in deſerto omnes extinguuntur, & promiſſis beneficijs eorum perfruuntur filij, qui vt vltra Iordanem peruenerunt, non manna amplius, ſed agrorum præda vbere atq; locuplete, ſuſtentantur.

72. ACHANVS.

ACHANVS *Iudæ, è Zara filio abnepos, in direptione Hierichuntis, de anathemate pallium purpureum auro intertextum, et argenti*

prædam placitam tulerat, & terræ in caſtris infoderat. Ioſua interim aduerſus Haitas pugnante, cohortes eius fugatæ fuſæq́; ſunt, cuius cladis cauſa audita, & Achano per ſortẽ deprahenſo, furtumq́; confitente: ipſe cum filijs & filiabus, lapidibus cooperitur: ſupellex, tabernaculum, armenta, rapina flammis traduntur, ira enim Dei placari, & populus fortunari alio modo non potuit. Moles aggeſta lapidum, in valle Achore, in pœnæ monumentum, longo tempore permanſit.

73. RAHAB.

RAHAB *Hierichuntina, cauponariam exercens, duos Ioſuæ exploratores hoſpitio excipit, eosq́; rege inquirente ſollicitè abſcondit: néue in manus hoſtiles inciderent, per noctem funibus de muro pacificè demittit, & viæ ignaros conſilio inſtruit. Vrbe ipſa per miraculum capta, ita vti cum hoſpitibus conuenerat, funiculum de feneſtra coccineum ſuſpendit. Rahab igitur quia per fidem, benigna fuerat hoſpita Eccleſiæ, ſeruatur cum ſua omni propinquitate, & viri præſtantis Salmonis potitur coniugio. In Chriſti genealogia, è mulieribus extraneis, loco ſecundo ponitur, regis Dauidis tritauia.*

74. GABAONITAE.

GABAO-

GABAONITAE, *vrbium vicinarum Hierichuntis & Hai clade & euerſione territi, in caſtra Ioſuæ veniunt, veſtitu lacero & calceis diſſutis, portanteſq; vtres vini veteres, & panes duros, è regione longinqua ſe adeſſe ſimulant: cùm dicerent itineris longitudine conſumpta veſtimenta, ruptos vtres, & panes ſitu obductos. Quo dolo pacem impetrant, & vitam lucrifaciunt. Populo indignante, quòd incolumitas illis conceſſa eſſet, Ioſua eos addictos ſeruituti, calones & lixas eſſe imperat, & in fidem ſemel ſuſceptos, contra reges vicinos, ne furore illorum delerentur, ſua potentia defendit.*

75. CALEBVS.

CALEBVS *filius Iephonæ Cenizæus, de tribu Iuda, vir egregius & præſtans, cuius vegetæ corporis vires ne ſenectute quidem ſunt diminutæ. Amandatus in Chananæam explorator, terram eſſe rerum abundantiſſimam refert: vincibilem quoq; contra ſocios incredulos, tanta animoſitate affirmat, vt à populo ſeditioſo lapidibus peteretur. Dei omnipotentis veritatem ſemper defendit, nec Dei auxilio vnquam deſtituitur: ſolus in terram promiſſam, quam verè laudauerat, venit cum Ioſua. In eadem terra præmium, quod ipſi Moſes pollicitus fuerat, obtinet, & vrbes Gigantum Hebrone habitantium*

expugnat & poſſidet, duces Gigantum tres ſuperat & obtruncat: ſua felicitate poſteritati demonſtrans, quàm ſit bonum ſequi Dominum.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER TERTIVS.

Eccleſiæ à ducibus gubernatæ.

76. IOSVA, DVX I.

IOSVA *qui & Hoſea, Nuni filius, Efraimites, Moſe ſummo duce, & maximo propheta dignus miniſter ac diſcipulus à cuius latere, nullo loco aut tempore diſcedit. Explorator miſſus in terram hoſtilem, periculum non horruit, & magnifica certaq; renunciauit: ſocios ſuos proditionis ſe arguentes ſpreuit, populum terrore perculſum animauit, fremitus iniquorum non ſine vitæ periculo compeſcuit. Moſis factus ſucceſſor auctoritate diuina, inſignia accipit ab Eleazare: hæredi-*

hæreditatis promiſſæ terram, è ſexcentis hominum millibus ſuperſtes, vno ſocio Calebo ingreditur. Temporibus aduerſis inuocat Dominum excelſum, ad preces eius fluuius ſtetit Iordanes: ad imperium, ſol & luna curſum tenuerunt. Iordane per miraculum traiecto, populum circumcidit, & necatis vno & triginta regibus, vrbes eorum ſorte diuidit. Sacerdotibus per tribus ſingulas diſpertit domicilia: fugitiuis tuta conſtituit aſyla. In vita ſua, de ſempiternis Dei in populum beneficijs perpetuò, & ante mortem grauiſſima oratione concionatur: vir ingenti fide, præſentiſſimo animo, tolerantia ſingulari ſpectatiſſimus. Obijt anno imperij ſui ſecundo & trigeſimo, ætatis decimo & centeſimo.

77. OTHONIEL, DVX II.

OTHONIEL *Cenezi, fratris Calebi filius, de tribu Iuda, adoleſcens animi excelſi, qui Ioſuæ ſucceſſit in imperio. Poſt expugnatas vrbes Gigantum, cùm ſola Debira reſtaret, Calebus ei præmium propoſuit, qui eam vrbem expugnaſſet. Othoniel cùm nihil inexpugnabile viro forti exiſtimaret, ſua virtute Debiram ſubigit, & belli mercedem Achſam Calebi filiam, accipit vxorem. Cui cùm dotem adieciſſet ſocer vicos montanos, & agros, propter aquæ inopiam,*

 biſpidos:

hiſpidos: Achſa patrem marito ſuadente orat, vt loca etiam campeſtria & irrigua daret: id ipſa commodè petens, patre lubente & facili exorat. in ſuo imperio Chuſanem regem Meſopotamiæ compeſcuit, & iugum externæ dominationis à populi ceruicibus fortiter auertit. Anno ſuæ gubernationis octauo moritur.

78. EHVDVS. DVX III.

EHVDVS *Beniamites, Geræ filius, Ieminis nepos, regi Moabitarum Egloni munera nomine publico obtulit, eiusq; legationis princeps fuit. Impetu diuino incitatus ad patriam liberandam, magnum animo facinus concipit, & ex itinere reuerſus in regiam, tanquã rem arcanam nunciaturus, ad Eglonem arbitris remotis admittitur: quod cùm ſine ſuſpicione eſſet factũ, manu ſiniſtra, quam ſolam expeditam habebat, regem in conclaui tranſuerberat, & ſicam cum capulo adactam, quam retrahere non poterat, in hominis obæſi abdomine relinquit. Elapſus inde loco abdito et opportuno, Efraimitas conclamat: quibus factum ſuum & terrorem hoſtium exponit, & certam victoriã fide non dubia pollicetur. Itaq; vada Iordanis occupat, iterq; hoſtibus inſequentibus intercludens, decem millia hominum ſelectorum occidit. Vita defungitur anno imperij ſui octageſimo.*

97. SAMGARVS, DVX IIII.

SAMGARVS Anathi filius, populo Dei à Philiſtinis oppreſſo, fortè in agro armenta duxit, & cum cohortes Philiſtinorum prædæ cauſa excurſiones feciſſent, & agros ſpoliarent: Deus magnos ei ſpiritus immittit, ita vt ſolus ipſe pedo paſtorali, armis videlicet pro tempore oblatis, latrones ſexcentos proſterneret, præda potiretur, genti ſuæ modo miraculoſo quietem pareret. Tempora huius ducis in ſuo cantico Delbora accuſat, tanquam turbulenta: celebrat, quibus Deus rurſus cœperit per viles homines agere res memorandas.

80. DELBORA, PROPHETRIA ET DVX V.

DELBORA è tribu Nephtalim prophetria, tribulem ſuum Baracum belli ducem aduocat, cùm Iabinus rex Chananæus, qui Hazorem antiquam regum ſedem, in tribu illa adhuc tenebat, vrbes reliquas eripere Ebræis vellet, duce Siſara, viro impigro & magnanimo. Is cùm nongentos currus armaſſet, caſtra locaſſet ingentia prope torrentem Ciſonem, contra ipſum de cœlo dimicatum eſt, & ſidera ipſa radios ſuos deſuper

deſuper in eum iecerunt, donec exercitus viſu priuatus & diſſipatus deleretur. Siſara pedes fugiens, ſudore ſitiq́; enectus, ad Heberem hoſpitem antiquum diuertit: cuius vxor, Iabelis nomine, pluris faciens Deum, quàm regem, & ſalutem populi præferens neceſſitudini hoſpitij: dormienti Siſaræ viro fœmina clauum per frontem & cerebrum malleo tranſadigit, & caput impium diminuit, terræq́; affigit. Delbora belli auctor, Iabelis victoriæ, populo libertatem, & Eccleſiæ læticiam comparant. Diuturna Chananæorum potentia cõſilio manuq́; muliebri frangitur. Auctoritas Delboræ ſumma fuit, eiusq́; dominatus annos quadraginta durauit glorioſè. Vaticinata eſt in agro ſub palma arbore, & in monte Efraimo habitauit.

81. GIDEON, DVX VI.

GIDEON *Ioæ filius, Manaſſæus, homo ruſticanus, dum frumentum in horreo excutit, populi dux ab Angelo deſignatur, & miraculo confirmatur cœlitus. Initio imperij aram & lucum Baalis in domo patris euertit, vndè Ierobaal cognominatur: tum contra Midianitas, per tribus vicinas, claſſicum canit. Habito copiarum delectu, viros tantùm trecentòs eligit, vt hominum paucitate vincens, gloria Dei fieret manife-*

manifeſtior. Caſtra hoſtium vno comitatus ſocio, ipſe explorat, & prælium nouo quodam genere militiæ inchoat, & clangore tubarum, ſtrepitu fictilium, lampadum fulgore, clamore militum hoſtes ita terret, vt mutuis ſe conficerent vulneribus, eorumq́; centum & triginta quinq; millia oppeterent. Duces Midianitarum Orebum & Sebum comprahenſos Efraimitæ interficiunt: Zebam & Salmanam captos trucidat Gideon. Poſt eam victoriam Sochotenſes & Phanuelitas, qui ipſum procaciter irriſerant, ſpinis tribulisq́; conterit. Regium nomen atque ſceptrum ad ſe delatum, ſponte detrectat, antiquam ciuibus libertatem relinquit. E præda hoſtili conflat idolum, idq́; in patria ſua dedicat: quæ prophanatio diuini cultus, ipſi liberiſq́; eius ceſſit in perniciem & ruinam. Populo præeſt ſingulari virtute & moderatione annos quadraginta, ex agreſte princeps, ex homine humili victor gentis maximæ effectus, præconio Iſaiæ prophetæ celebris.

82. ABIMELECHVS TYRANNVS, DVX VII.

ABIMELECHVS *Gideonis è concubina Sichemenſe filius, homo audaciſſimus regnum á ſuis ciuibus verſutia eblanditur, vtq́; ſine timore id retineret, Sichemitarum argento è reditibus*

reditibus ſacris collecto militem nequam & impium conſcribit, & vrbem Ephram, in qua fratres eius ſeptuaginta habitabant, armatus ingrediens, eos omnes in vno lapide obtruncat, præter vnum Iothanem, quem homines fidi abſconderant. Paulò pòſt Sichemitæ, ſtulti & leuiſſimi homines, duce quodā Gabale deficiunt à rege. Abimelechus ira percitus vrbem fraude inuadit, ſeditioſos opprimit, puberes omnes occidit, vrbem amplam vnum rogum facit, & in patriæ ruderibus ſalem ſeminat. Ciues mille, qui in ſpeculam quandam confugerant, fumo ſarmentorum ſuffocat. Poſt ea facinora oppidulum Theben obſidet, ad cuius mœnia accedens, à muliere quadam fragmentum molaris deſuper iaciente, lethaliter feritur, néue fœminæ dextera interiiſſe dici poſſet, ſeruo armigero iugulum porrigit. Tyrannidem exercuit annos tres, dedecus gentis & generis, homicida ciuium, parricida fratrum, euerſor libertatis, patriæ incendiarius.

83. THOLAS DVX VIII.

THOLAS *filius Phuæ, patruelis Abimelechi, de tribu Iſaſchare, viro ambitioſo & crudeli, ipſe moderatus ſuccedit, neque è ſua libidine, ſed ſecundum leges patrias populum regit.*

regit. Eius temporibus nihil memorabile neque domi neq; foris geſtum eſt, ſed pax vndiq; placidiſſima & iucunda floruit. In magiſtratu fuit annos tres & viginti.

84. IAIR, DVX IX.

IAIR *Manaſſæus ex vrbe Gilead, filiorum triginta pater, quos ciuitatum totidem principes conſtituit, quæ Iairis præfecturæ longo tempore dictæ ſunt: Sub eo homines bono pacis abuſi, à vera religione deficiunt, & maiorum peccata nouis cumulant ſceleribus: adeò vt ipſis petentibus Deus negaret auxilium, & à dijs gentilium, quos colerent, opem petere iratus iuberet. Tempora igitur imperij eius facta difficiliora ſunt, & multæ vrbes à Philiſtinis & Ammonitis miſerè afflictæ. Inter has ipſas calamitates Iair moritur, qui cum poteſtate fuit annos duos & viginti.*

85. IEPHTHA, DVX X.

IEPHTHA *Iairis ciuis & tribulis, è matre natus infami, domo paterna propter matris turpitudinem à fratribus eijcitur: deſertus & ſpretus à ſuis, conſuetudine latrociniorum, et*

robur militare & nomen illuſtre comparat. Ammonitis contra Gileaditas arma ſumentibus, ciuium ſuorum conſenſu, belli dux creatur: quo honore ſuſcepto ad regem Ammoniticum de non infeſtandis finibus legatos mittit. ab eo cùm nihil æqui impetraret, ciues armat, pugnam init, fide vincit, ciuitates viginti ſubigit. Voto temerario filiam vnicam deuouet & mactat, luctum ingentem omni populo excitat, ſeq́; prole optatiſſima orbat. Idem Efraimitas nobilitate ſua ſemper inſolentes & importunè moleſtos coërcet: qui cùm ei bellum non neceſſarium indicerent, duo & quadraginta ex ijs proſtrauit hominum millia. Rerum potitur annos tantummodò ſex, conſilio & fortitudine, non minus hoſtibus, quàm ſocijs metuendus.

86. ABESAN, ELON, ABDON, DVCES XI. XII. XIII.

ABESAN *floruit in populo annos ſeptem, Bethlehemites: Elon, annos decem, Zebulonites: Abdon annos octo, Efraimites. Primus inter hos triginta filios & totidem filias habuit, & totidem generos in ſua domo aluit: poſtremus filios quadraginta, nepotes triginta numerauit. Fuerunt hi principes & honore publico & obſeruan-*

ſeruantia ſuorum inprimis nobiles & fortunati & quæ non parua felicitatis pars eſt, cum tot liberis ac nepotibus vixerunt in pace publica ætatem quietam & venerabilem.

87. SIMSON DVX XIIII.

SIMSON *Manoæ filius, à tribu Danis, alio nomine Bedan, prædicitur ab angelo futurus vindex populi, & Deo ſacratur adhuc in vtero materno. Robore giganteo fuit, ſed qui telis armisúe vinci, & vinculis conſtringi nullis potuit, victus voluptate eſt. Vxorem ducit Philiſtinam, illuſus à ſponſa, triginta Aſcalonitas interimit: repudiatus à ſocero, ſegetes Thamnatenſium caudis vulpium colligatis inflammat: mœnibus Gazenſium incluſus, portas vrbis cum vectibus aſportat. Catulum leonis inermi ſibi occurrentem manibus diſcerpit, aſini maxilla mille viros interimit, ex oſſe belluæ aquam precibus elicit. Amore Dalilæ inſanus, eius blanditijs effœminatur, inſidijs frangitur, auaricia proditur. Captus, priuatur oculis: vinctus, in piſtrinum traditur: damnatus capitis, à Gazenſibus aſſeruatur. In conuiuium, in quo cum vxoribus & liberis ſatrapæ accubuerant, ſpectaculi cauſa productus, fide Deum inuocat, præhenſisq; columnis, quibus porticus innitebatur, eas euertit, moriensq; plu-*

res ſecum occîdit, quàm viuens antea occiderat. perierunt enim illa ruina nobiliſſimorum ſexus vtriuſq; hominum tria millia. Fuit cum auctoritate annos viginti: vnus ſeſe Philiſtinis omnibus oppoſuit: neq; machinis aut exercitu, ſed manu ſua ſolus pugnauit, & victorias miraculoſas retulit, omnibus formidabilis, ſuo populo ſalutaris. In eius vita Chriſti imago adumbratur, qui etiam moriendo hoſtes ſubegit & oppreſſit.

88. HELI, SACERDOS.

HELI *ſacerdos, de ſtirpe Ithamaris, quarti Aaronis filij, in Silone habitauit & officio ſacerdotis atq; ducis functus eſt. Confectus ſenio Eccleſiam committit filijs, turpibus & nefarijs adoleſcentibus: de quorum flagicijs cùm multa audiret quotidie, oratione caſtigatos emẽdare non potuit: vinculis legis coërcere, aut ab officio remouere, non ſuſtinuit. Monitus à propheta, obiurgatus à miniſtro Samuele, magis filios, quàm Dominum honorauit. Factum igitur eſt, vt pœnas inopinatas lenitatis & indulgentiæ lueret. primùm enim populum inceſſit ſterilitas & inedia: deinde bellum aſperum eſt à Philiſtinis motum, in quo vna hora filijs ambobus orbatur in prælio, & ipſe de ſella cadens fractis ceruicibus expirat, anno ætatis ſuæ octauo & nonageſimo,*

geſimo,,imperij quadrageſimo. Pœna impietatis & inobœdientiæ, diu in eius familia durauit. nam Achitobus nepos partu immaturo editur: pronepos Achimelechus trucidatur, temporibus Sauli: abnepos Abiathar, à dignitate remouetur, temporibus Solomonis: reliqui poſteri ad ætatem grandem non perueniunt.

89. SAMVEL, PROPHETA.

SAMVEL *precibus à Deo impetratus, & Deo à puericia dicatus, ab Heli ſacerdote, inſtituitur, & cuſtodis oſtiarij vice fungitur, & à Deo anno ætatis duodecimo nominatim dormiens vocatur. De latere ſui doctoris non abijt, vitam ſeuerè inſtituit, aquam potauit, & cibo omni delicato abſtinuit, & de more comam nutriuit. Propheta primarius & fidelis, & Deo ita charus, vt ab eo fruſtra nihil vnquam petiuerit. Ipſo orante, Philiſtini & Tyrij fulmine ſternuntur: ipſo inſtigante, Amalechitæ expugnantur. Regnum primus conſtituit coactus, & reges in gente ſua vnxit: ludos diſcentium aperuit, & Eccleſias annis ſingulis perluſtrauit. Mandata Dei conſtanter exequens, Heli & Saulo iram* DEI *denunciat liberrimè: populum regiminis ſtatum mutantem, obiurgat acerrime: regem Amalechiticum, cui*

Saulus pepercerat, interficit fortiſſimè. A populo exauctoratus, non tumultuatur: à Saulo contemptus, non iraſcitur: à primatibus propter filios malos reprӕhenſus, ſuorum delicta non tuetur. Cӕde ſacerdotum, & Dauidis exilio magnopere doluit, & viuere priuatus maluit, quam aſſentiri regi hypocritӕ. A nullo vnquam homine vllius cupiditatis aut iniuriӕ conuictus eſt: in graui perſecutione Eccleſiӕ, placidè obit, omnium piorum deſiderio: anno imperij ſui quadrageſimo, ӕtatis ſeptuageſimo. Ab hoc Petrus Apoſtolus, prophetarum ducit initium.

90. IOTHANES.

IOTHANES *Gideonis minimus natu filius, Abimelechi fratris ſpurij tyrannidem effugit, hominum fidorum opera: adoleſcens virtute & prudentia ornatus, ſed infelix & miſer. Ad Sichemitas perfidos de montis cacumine, quod vrbi ipſorum imminebat, concionatur, eisque ſtulticiam & ſӕuiciam exprobrat, & de futuro vrbis excidio, verbis minacibus vaticinatur, quod ei mox accidit. In hominum impijſſimorum manus ne incideret, ſibi locum exilij eligit, et ibidem animi dolore vitam obſcurus claudit.*

91. NOEMIS.

NOEMIS

NOEMIS *cum marito Elimelecho, & duobus filijs, ad alendam familiam, penuriæ tempore, è Iudæa in Moabitarum regionem ſe contulerat. Marito ibidem defuncto, filijs puellas exteras deſpondet: filijs quoque defunctis, ipſa de reditu in patriam deliberat, nuribus verò ſuis, vt ad parentes redeant, conatur perſuadere. Arpa nurus altera, in patria remanet, Ruth autem ſocrum noluit deſerere, ſed eam in Bethlehemam ſequitur, eiq; orbitatem & ſenectutem, ſua pietate & obſeruantia efficit leniorem.*

92. RVTH.

RVTH *Moabitis, vidua paupercula, ſocrum Noëmim loco matris honorat, & rectè à primo lacte inſtituta, Deum, ſacra, populum, egeſtatem, tumulum habere optat cum Noëmi communem. ideo è patria in Iudæam migrans, à gente externa ſummam gratiam inijt, cùm propter ſuam in verum Deum fiduciam, tũ propter conſtantem in egenam ſocrum pietatem. Viro autem nobili & locupleti Boozo iuncta connubio, fructus ſuæ pietatis magnos & inſperatos percipit. facta enim regis Dauidis auia eſt, & tertia è mulieribus peregrinis, in Chriſti genealogia ponitur.*

63. BOOZVS.

BOozvs Salmonis filius, homo potens & magna in re, virginem aduenam, Noëmidis nurum, ſpicas in agro ſuo colligentem, benignè habet, eamq; agnitam agnatam lege patria ducit vxorem: primùm quòd ſub alas Dei Iſraëlis, fiducia ipſius miſericordiæ, confugerat: deinde quòd dulci patria relicta, ſocrum inopem fuerat ſecuta. Factum Boozi applauſu & gratulatione merita, ciues & gentiles ipſius extulerunt, quòd non neglexiſſet pauperrimam, quodq; eandem fidem, quam amico præſtiterat viuenti, nunc exhibuiſſet defuncto. Filius Boozi Obedus, Obedi Iſaius, qui Dauidis eſt pater.

94. HELCANAS.

HElcanas in tribu Leui natus, in tribu Manaſſis domum habuit, obſeruator legis Dei diligens, miniſterium iuuit pro ſuis opibus. Ut more maiorum iuſſa Deo faceret ſacrificia, ſtatis anni diebus Silonem ibat, neq; ſolum ipſe perfungebatur eo munere atq; itinere, verumetiam, ne vacui ante Deum apparerent, vxoribus & liberis dona diſtribuebat. Bonus pater fuit, quia filijs exemplum pietatis extitit: commodus maritus, quia vxoris alterius moroſitatem, alterius ſterilitatem patienter tulit, do-

nec

nec probrum ſterilitatis ab altera Deus etiam abſtuliſſet, vt pater Samuelis, prophetæ excellentiſſimi fieret.

95. PENINA.

PENINA *vxor Helcanæ, mulier ſuperba, Annam quia ſterilis eſſet, exagitat: marito, quia tolerans, eſt moleſta: liberis familiæq́; quia factioſa, malum exemplum præbet. Monita, non ſapit: obiurgata, à propoſito non deſiſtit. Ad peragenda ſacrificia Silonem cum marito veniens, ſua importunitate lacrimas Annæ excutit, & Deo ſe eſſe acceptam, propter munera ſibi perſuadet. Hypocriſis eius indicia ſunt, admiratio ſui, & aliorum contemptus. nam Dei donis, tanquam bonis proprijs, inſoleſcit, & viuens ſine pœnitentia, in alios eſt iniqua atque acerba.*

96. ANNA.

ANNA *mater Samuelis, matrona pia & patiens, multos annos degit ſterilis. Domi vexatur ab æmula, & deſpectui habetur à familia: Silone cùm oraret, è ſacrario diſcedere iubetur, tanquam fatua & ebria. Solatium ei domeſticum fuit, maritus placidus: ægritudinem animi mitigauit, audita eius triſticia, Heli ſa-*

cerdos. Tandem à Deo exaudita filium parit, ſummum futurum hominem, eumq́; à teneris annis, Deo vouet & conſecrat, & hymnum pulcherrimum poſteritati relinquit: in quo ſuam canit incredibilem lætitiam, & Deo gratias mirificas agit, & eius opera mirabilia laudibus iuſtiſſimis extollit. Filium itaq; primo partu editum, cum Deo conſecraſſet, ad domeſticam deinceps lætitiam trium adhuc filiorum, & duarum filiarum mater facta eſt, quibus exemplum ſanctitatis & modeſtiæ perpetuum fuit: decus marito, admiratio omni populo.

97. OPHNIVS ET PINEHAS.

OPHNIVS *& Pinehas Heli filij, ſumma dignitate præditi, nihil honori ſacerdotum egerunt conueniens, prophani, indocti, indiligentes, auari, libidinoſi, væcordes, impij. Deum non timuerunt, munus ſacerdotum non intellexerunt, miniſtris vicarijs vſi ſunt, de templi reditibus conuiuia agitarunt, mulieres religioſas inceſtarunt, vita palàm turpi gloriati ſunt, patrem obiurgantem irriſerunt. Talibus ipſorum moribus, magna doctrinæ diminutio facta eſt, & verbum Dei vulgo rariſſimè auditum: donec propter ipſorum ſcelera ſtatus totius Reipublicæ euerteretur. Illato à Philiſtinis bello, in acie ambo ca-*

bo cadunt, cæſa de populo triginta hominum mil lia, rapta Dei arca, pater terrore ſubito concidit, vrbs ſacrarij ſedes in hoſtium poteſtatem venit, vxor Pinehæ abortu extinguitur.

98. AMINADABVS.

AMINADABVS *de tribu Leui, homo integerrimus, ciuis oppido Cariathiearimo habitans, arcam Dei hoſpitio accipit, hac ratione. Philiſtini populi Iſraëlitici victores, in corporibus, morbo pudendo: in agris, à muribus vexabantur. In templo Dagonis, admoniti ſunt, inſigni miraculo, vt arcam reuehendam curarent. Impoſitam igitur eam nouo currui, vaccas iniuges iungunt, quóue iter factura eſſent, obſeruant. eæ rectà tendunt, ad fines Iudaicos, quod vt agricolæ viderunt, Cariathiearimam nunciant, in quam vrbem arca introducta, in montana Aminadabi domo tã diu manſit, donec eam rex Dauid transferret Ieroſolymam, comitatu frequenti, & triumpho celeberrimo.*

99. IOHEL ET ABIAS.

IOHEL *& Abias filij Samuelis, à patre iam ætate confecta, principes & ſacrifici declarantur: ſed à paterna integritate & ſanctimonia*

longè degenerant: contumaces, auari, inſatiabiles, iniuſti. Diſciplinam domeſticam turbarunt, pecuniæ cupiditate flagrarunt, venales habuerunt linguas & ſententias, legum & iudiciorum corruptelam ſunt moliti. Quamobrem, cùm neque domi neque foris eſſent ferendi, populus traditum ipſis honorem indignatione adimit, & libertatis oblitus regem ſibi, more aliarum gentium, poſtulat creari. Nouæ igitur mutationis cùm cauſſa eſſent turpiſſima, poſt id tempus vixerunt planè ignobiles & contempti: ſiquidem & patrem leuitate offenderant, & plebem alienauerant auaricia, ſordibus, impuritate.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER QVARTVS.

Regii Eccleſiæ imperii.

100. SAVLVS, REX I.

SAVLVS *Ciſſi filius, è tribu Beniamitica, viribus & dignitate corporis homo eminentiſſimus, è clitellario in regem euehitur: regnum humilis & integer accipit, ſed vir bonus non manet vltra biennium. obiurgatus verbo Dei, quòd miſericordia potior ſit ſacrificio, & cognitio Dei holocauſtis, animum non attendit: tum malè faciendo, ſeipſum defendit pertinaciſſimè, magis ſuæ laudis, quàm gloriæ Dei appetens: cùm tamen nihil minus haberi vellet, quam hoſtis Dei aut religionis. In prælijs ſatis felix, ſed vti eis ad gloriam Dei, etiam admonitus, noluit. Propter hypocriſin reijcitur à Deo: & agitatus à ſpiritu malo, duram exercet tyrannidem: non curat Samuelem, armis Dauidem, odio Ionathan*

Ionathan proſequitur, ſacerdotum atrox aduerſarius, occiſor infantum. Familias pias damnat exilio, ſatellite peregrino & barbaro ſe cingit, ſuo ipſius populo iniquus. Vſus hominum malorum & proditorum conſilijs, in exitium conijcitur, quemq́; non audierat Samuelem viuentem, eundem mortuum per pythoniſſam è tumulo euocare ſtudet. Victus à Philiſtinis, de equo lapſus vulneratur, néue hoſtibus de ſe triumphum & ſpectaculum præberet, ipſe ſibi manum infert. Inuentus inter cadauera capite truncatur, & de muro ſuſpenditur. Oſſa eius collecta Dauid infert in monumentum patrium. Sauli filij tres occiduntur à Philiſtinis: vnus dormiens, interficitur à ſuis tribulibus: duo alij, & nepotes eius quinque ſtrangulantur à Gabaonitis. ita cum familia ſua omni, intra breue tempus rex potentiſſimus deletur atque interit. Regnauit annos quadraginta.

101. NAAS AMMONITA.

NAAS *Ammonitarum rex, primus bellum Saulo infert, tanquam regi nouo & ignobili. Vrbem Iabitarum cùm obſideret, ciues imparati deditionem promittunt: quibus Naas conditionem fert, ſe in clientelam recepturos, ſi ſibi paterentur ſinguli oculum dexterum excludi,*

eisq́;

eiſq; ſeptem dierum inducias ad deliberandum concedit. Tanta erat in rege ſuperbo virium fiducia, vt neminem putaret, tantillo temporis ſpacio, laturum miſeris ſuppetias. Saulus audita Iabitarum querela, tribus omnes conuocat: nam idem aliјs minatus ludibrium rex inſolens erat. Agmine igitur tripliciter diuiſo, in caſtra Ammonitarum ſub primam auroram irruit, & inſigni ſtrage edita, hoſtes ita diſſipat, vt nuſquam ne bini quidem iuncti, in fuga conſpicerentur.

102. IONATHAS.

IONATHAS *Sauli filius, pietate & magnanimitate iuuenis inſignis. Præſidium Philiſtinorum vrbe Gabaa eiјcit, & vno armigero ſocio per ſcopulos arrepens, ad hoſtes contendit, viros in acie ſternit viginti, & reliquum exercitum ſolo conſpectu territat. Execratione patris temeraria, in vitæ periculum neſcius incidit, ſed auctor victoriæ, vitam retinet beneuolentia vulgi. Amicus Dauidi factus, patrem in ſe concitat, à quo etiamſi telo peteretur, amicum tamen fideli ſtudio defendit, & in exilio verbis conſolatur, & fœdere ſibi perpetuo obligat. In prælio contra Philiſtinos, cum patre & fratribus duobus oppetit: quorum capita ludibriј cauſa tholis affiguntur, corpora de mœnium pinnis ſuſpenduntur: quæ noctu Iabitæ tollentes, terra fortiter &*

ter & ſplendidè condunt. Mortuum luget, & carmine ſuo celebrat rex Dauid, & oſſa ipſius cum paternis eruta, a ui maiorumq; tumulis mœrens infert.

103. ISBOSEDVS.

ISBOSEDVS *Sauli filius, patre defuncto duos annos regnat, beneficio Abneris, quem cùm propter adamatam mulierculam liberè obiurgaret, ab eo deſeritur, & ſororem Michalim, eiuſdem inſtinctu, Dauidi cogitur reſtituere. Poſt id tempus vitam degit priuatam, & eo anguſtiarum redigitur, vt ſolam ancillam haberet corporis ſui cuſtodem: quæ cùm negligentia domum clauſiſſet, herus dormiens in conclaui ſuo, à duobus tribulibus facinoroſis, interimitur: qui caput ipſius ſpe præmij ad Dauidem cùm deferrent, manus & pedes eis amputari, & corpora mutilata in loco publico ſuſpendi mandat. Isboſedi caput ſepulchro Abneris, qui dux eius & conſiliarius fuerat, honorificè infertur. Vixit annos duos & quadraginta.*

204. MIPHIBOSEDVS.

MIPHIBOSEDVS *filius Ionathæ, nepos Sauli, annorum quinq; fuit, cùm regni*

gni hæreditate, auo patreq; trucidato, excidit. Nutrix audito triſtiſſimæ cladis nuncio, ne in manus hoſtiles puer veniret, fugam cum eo capeſſit, nimiaq; trepidatione celerando, puerum euertit, qui graui lapſu concuſſus, pedibus poſtea ambobus claudicauit. Dauid latitantem inquirens, bona ei auita tradit, & in vrbe regia habitare iubet, & menſæ ſuæ honoris cauſa, quotidie adhibet. Tandem à Siba quæſtore ſuo rapace & improbo accuſatus, tanquam Dauidi minus fidelis, bona omnia amittit. reſtitutus in gratiam, partem eorum dimidiam recipit, & minore apud Dauidem æſtimatione degit, malicia & aſſentatione eius, qui ipſi ſeruierat.

105. ABNER.

ABNER *filius Neris, Sauli patruus, & dux militiæ. Rege perempto, Isboſedum eius filium in ſolium collocat, annisq; duobus ſummis viribus defendit, niſi quòd in leui pugna à Dauidicis in fugam conijceretur: quem ferocia iuuenili frater Ioabi contemptim inſequens, ab eo transfoditur. Armis inteſtinis ſæuientibus, alienatus à Domino ſuo, mulierculæ cauſa, tranſit ad Dauidem, à quo cum beneuolentia ſuſcipitur. à Ioabo autem æmulo ſuo fratrem vlturo, ſpecie amicitiæ & colloquij, in porta vrbis Hebronis, telo inſidioſè tranſigitur. Dauid corpus*

corpus eius ſepelit, & luctu ipſum viro forti debito proſequitur.

106. DOEGVS.

DOEGVS *Idumæus, in aula Sauli vir magnus, Achimelechi ſacerdotis Nobenſis vſus aliquando eſt familiaritate. Idem vt regi gratum faceret, ſacerdotem accuſat, quòd hoſti regio Dauidi fugienti, & commeatum & gladium dederit. Rex illud factum, animo ita iracundo tulit, vt in omnes eius eccleſiæ miniſtros capitalem ferret ſententiam, quam cùm nemo militum aut ſatellitum exequi vellet: ſolus inuentus hic Idumæus eſt, qui ſanguinem innoxium ſua manu funderet: neque contentus ſupplicio virorum optimorum, infantes, mulieres, ciues deniq; omnes, nullius ordinis, ſexus, ætatis reſpectu, enſe tolleret. Ipſe tandem vnà cum rege deſperabundus, ſuo gladio incubuiſſe perhibetur, cũ interitu miſerrimo totius ſuæ familiæ, nomine etiam ipſius de terris ſublato, quod Dauid ei futurum prædixerat.*

107. ACHIMELECHVS SACERDOS.

ACHIMELECHVS *Heli pronepos, vir integer & hoſpitalis, Dauidi exuli à ſe petenti,*

petenti, panes & gladium præbet: eam ob cauſam à Doëgo coniurationis accuſatur. In aulam accerſitus, vt cauſam pro ſe diceret, inſcientem ſe peccaſſe teſtatur, & veniam erroris atq; delicti ſuppliciter petit. Verùm excuſationi eius & precibus locus ignoſcentiæ non fuit. nam iuſſu regis cum ſacerdotibus quinq; & octoginta crudeliter iugulatur: & eccleſiæ Nobenſis domicilium, & virorum ſanctorum collegium edicto Sauli, & malicia Doëgi deletur indigniſſimè.

108. RISPA.

RISPA *Sauli regis concubina, cuius duo filij, cum quinq; filijs Michalis poſcebantur à Gabaonitis ad ſupplicium, & ſuſpendebantur vno die. Corpora mortuorum, ne ab alitibus die, à beſtijs noctu lacerarentur, ipſa vigilans, & pallio tegens cuſtodiuit, nec ab eis auelli potuit. Eius pietas ſedula Dauidi placuit, ſumptisq; à Galaaditis cadaueribus Sauli, & trium filiorum: à Gabaonitis duorum filiorum Sauli, & nepotum quinq;, permiſit ea tumulari in ſepulchris maiorum.*

109. ISAIVS.

ISAIVS *Obedi filius Bethlehemites, filiorum octo pater, è quibus tres natu maiores,*

viri fortes, Saulo militarunt: natu minimus Dauid, paſtor erat, reliquorum contemptiſſimus. Samuel ablegatus à Deo, vt regem ex eius filijs eligeret, ſeptem priores regno indignos eſſe cenſuit, quia Deus non ſpeciem nec dignitatem, ſed ima cordis explorat. Dauid autem ex agro à gregibus vocatus, ex opilione rex deſignatur, & oleo, gentis more, perfunditur. Poſt illum honorem ampliſſimum, patri non minus, quàm antea, eſt obſequens. nam ad greges redit, & ad fratres in caſtra miſſus, patris mandatum exequitur, donec aperta vi rex eum perſequeretur, & Iſaium cum omni familia in exilium pelleret: cui rex Moabitarum dedit immunitatem & hoſpitium.

110. DAVID, REX II.

DAVID *adoleſcens cum leonibus & vrſis luſit, tanquam cum hœdis & ouibus, anno ætatis vigeſimo ad regnum Dei mandato accerſitur, populi ſuffragijs trigeſimo demum confirmatur. Muſicus & armiger regis factus eſt, & Góliado gigante armis paſtoralibus victo, tantum gloriæ meretur, quantum decem militum millia. Saulus odio & inuidia flagrans, ipſum, adhuc Muſicum ſuum, haſta petijt: tribunum, hoſtibus obiecit: generum, interficere in lecto voluit: fugientem, in omnibus agris & vrbibus*

vrbibus quæſiuit. In ſuo exilio Dauid non læſus à barbaris regibus, ad quos diuerterat: inter ſuos homines deſeritur à Ceilenſibus, proditur à Ziphæis. Tradito in manus ſuas Saulo, cum reuerentia parcit: in ſpelunca laciniàm chlamydis præſcindit: in caſtris ſcyphum & haſtile dormienti transſportat. Manus ſociorum incenſa Sicele cha, qui lapides in eum tollebant, vix effugit. Occiſo Saulo annos circiter quinq; exagitatur ab eius præfectis, deinceps regno integro accepto, Philiſtinos, Moabitas, Ammonitas, Syrios, Idumæos, Amalechitas domat, & familias Gigantum aliquot prælijs delet. Partis tot victorijs Deum toto corde extollit, & Eccleſiam quibus poteſt ornamentis decorat: ipſe domicilium & templum ſpiritus ſancti. Statu rerum florente Berſabeam rapit, Vriam in manus hoſtium tradit, populum deniq; ſuum per prouincias numerat: propter quæ facinora à filio Abſolone regno exuitur, & lethali lue peſtilentiæ punitur, & ab Adonia filio iam ſenex affligitur. Dominus peccata eius abolet, & virum ſecundum cor ſuum appellat. Moritur placidè anno ætatis ſeptuageſimo, regni quadrageſimo. Sanctiſſimus propheta, potentiſſimus rex, feliciſſimus imperator, doctiſſimus muſicus, exercitatiſſimus ſcriptor laudatiſſimus omnium hominum. Redemptorem, mundi è ſua oriturum poſteritate ſciuit: de eius cruciatibus, morte, reſuſcitatione, ad cælos aſcen

ſis : de eccleſia gentium, de poteſtate Antichriſti prævidet. In Chriſti perſona ſæpe loquitur, vt & Chriſtus verbis ipſius. Pſalmos contra falſos ſcripturæ interpretes plures, quam contra tyrannos compoſuit: quibus libris ait Chryſoſtomus, minus carere eccleſiam poſſe, quàm mundum ſole.

III. GOLIADVS.

GOLIADVS *Gethæus viribus & vaſtitate corporis confidens, nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli. Exercitum Iſraëliticum omnem, præ ſuo robore & mole contemnit, & ex eo prouocat clamore, fortiſſimum quenq;, mane & veſperi, dies totos quadraginta. Ad eius conſpectum trepidarunt vniuerſi, nec audebat quiſquam, etiam præmijs ampliſſimis inuitatus, cum eo congredi. Miſſus in caſtra Dauid, eius in Deum maledicta impia non fert, & regio permiſſu certamen cum eo ſingulare ſuſcipit. Itaque tiro adoleſcens, accedens ad virum militarem: ad armatum haſta & clypeo, inſtructus funda & lapillis, cum riſu & conuicio excipitur: ſed nomine Dei ſui inuocato, Dauid primo ictu, caſſidem æneam perrumpit, & frontem paruo lapillo diuidit, & gladio proprio obtruncat, & ſpolia opima corpori detrahit. Caput Goliadi ſuſpenditur Ieroſolymis, gladius deponitur in ſacrario Nobenſe,*

Nobenſe, arma affigit Dauid in ſuo tabernaculo, corpus truncum alitibus & beſtijs obijcit, in agro.

112. NABAL.

NABAL *è virorum clariſſimorum Calebi & Othonielis poſteritate, homo magni nominis atq; locuples, ſed tenax, crudelis, & ſordidus: in diuitijs luxuriari, & ſoli ſibi viuere, benefacere nemini ſolebat. Ab eo cùm per legatos honeſtos homines exul Dauid commeatum humiliter peteret: non ſolum bene merito eum negat, verumetiam contumeliam verborum addit, & Dauidem tribulem ſuum, tanquam fugitiuum & perduellem, vituperat. Qua petulantia, & feritate ita vir fortis exarſit, vt conſtitueret & ipſum, & totam eius domum ferro euertere: cui vxor Nabalis Abigail pia & modeſta fœmina occurrens, ſuis precibus & liberalitate eum mitigat. Nabal ab vxore de Dauidis iracundia iuſta, & de ſuo periculo, quod vix euaſerat, certior factus: terrore concidit, & manu Dei percuſſus, die decimo animam temulentam euomit.*

113. IOABVS.

IOABVS *filius Zaruiæ natu maximus, Dauidis auunculus, & ſummus copiarum dux,*

vir animo ferox, ingenio callidus, & vindictæ cupidiſſimus. Externa pro Dauide bella geſſit contra Syros, Ammonitas, Philiſtinos: domeſtica, contra Saulum, Abſolonem, Sebam: quibus omnibus victor euaſit. Durante bello ciuili, manu ſua interficit viros præſtantes, Abnerem ducem Sauli, & Amaſam ducem Abſolonis, conſobrinum ſuum, ſed vtrunq; per inſidias: ipſum deniq; Abſolonem haſta traijcit contra regis voluntatem. Quibus factis Dauidem ita alienat, vt præ ægritudine verbis illum triſtiſſimis deuoueret. Hoc vnum egit ſalutariter, quòd regi populum numeraturo, vera & graui ſententia contradixit. Cum Adonia tumultuante conſpirans, mandato Solomonis, in ipſo ſacrario, ad quod confugerat, interficitur.

114. ABISAIVS.

ABISAIVS *alter Zaruiæ filius, omni laude excellens, & auunculi ſui Dauidis defenſor conſtantiſſimus. In perſecutione Sauli, cum ipſo caſtra ſolus ingreſſus, regem dormientem haſta transfodere: in perſecutione Abſolonis, Semeio maledico caput amputare voluit: ſed manum abſtinere iuſſus, animo placato paret, non minus ſui victor, quàm hoſtium. Contra hoſtes inteſtinos Abſolonem & Sebam, item contra Annonem Ammonitam, qui legatos Ebræos ra-*

ſerat,

ſerat, ordines honeſtos ducit. Dauidem denique à Gigante Philiſtino propemodum oppreſſum, manu ſtrenua liberat. Tanto animi corporiſq; robore ſæptus, vt cum trecentis dimicare non vereretur, & pugnando victoriam de illis ſolus obtineret.

115. ASAHEL.

ASAHEL *minimus natu Zarriæ filius, curſor & bellator ſui temporis nominatiſſimus: in flore adoleſcentiæ, temeritate propria interit. nam eo prælio, quo frater eius Ioabus Abnerem fugauit, viribus ſuis nimium fidens, à perſequenda Abneris cohorte non deſtitit: quem cùm ipſe Abner quaſi amicum, verbis hortaretur, vt periculum fugeret, & gloria præſenti diſcederet contentus: ſuum inſtitutum impetu vehementi vrgens, haſtili ab eodem conficitur. Sepultus eſt in vrbe & monumento patris Bethlehemæ, relicto cognatis & amicis fortiſſimæ indolis ſummo deſiderio.*

116. AMASA.

AMASA *natus patre Iſmaëlita, & Abigaëli ſorore Dauidis minima, præfectus copiis Abſolonis contra auunculum ſummam belli adminiſtrat. Prælio victus cum rege ſuo factioſo,*

veniam propter virtutem & cognationem à Dauide impetrat, & belli præfectura loco Ioabi, ipſi offertur atq; traditur. In tumultu contra Sebam, tribui Iudæ præfuit. Ioabus inuidia & iracundia flagrans, ipſum fraternè ſeuocat colloquij cauſſa, ſed inter amplexus & oſcula, conſobrinum & collegam ſuum ſica furtim traijcit, & in mediam viam agminis prætereuntis proijcit, nullo pudore neque regis, neque arctiſſimi fœderis. Amaſæ interitum duplici modo Dauid luget, & quod duce altero priuatus eſſet morte, & quòd alterum ducem contaminatum videret maximo facinore.

117. MICHAL.

MICHAL *Sauli filia, natu minima, Dauidi ex fœdere, quod Goliadum vicerat, vxor collocatur: cuius ſponſalia iubente rege, ducentis Accaronitis cæſis, fortiter redimit. In maritum animo erat fideli, quem immiſſis ſpiculatoribus regijs, per feneſtram demittit, & ingenio muliebri milites eludit. Laudem igitur, contra patris voluntatem, mariti conſeruati obtinet, eiq; per vim erepta, poſt mortem Saulis per Abnerem, eadem vi reducitur. Ipſa tamen paterna dignitate ſuperbiens, maritum animo ſuo deſpicit, cùm ante arcam Domini geſtiens & exultans*

ultans incederet: ob eum contemptum in thoro Dauidis poſt id tempus vixit obſcura & ſterilis.

118. ABIGAIL.

ABIGAIL *vxor Nabalis Carmelitæ, fœmina prudentia & forma celebris, quæ viri moroſi & ebrij iniurias & ſtulticiam tulit, perpetua modeſtia, eumq; cum familia omni, è manibus Dauidis, & præſenti vitæ diſcrimine ſuo eripuit ingenio & beneficentia. Poſt viri obitum, Dauid eam ducit vxorem, quæ comes eius exilij, & ſocia ærumnarum fuit. Eandem ei abſenti rapiunt Amalechitæ, quam cum reliqua multitudine & præda ipſe reducit. Pace ab hoſtibus comparata in regium Dauidis thorum Hebrone transfertur, & ex eo filium vnicum peperit.*

119. BATHSABEA.

BATHSABEA *Eliami filia, Vriæ vxor, inſigni venuſtate & nitore mulier, in nymphæo domi lauans, à rege Dauide cõſpicitur, qui eius amore impotente exardeſcens, marito furtim molitur exitium, quo interfecto ab Ammonitis, in arcem deducta, regina nominatur. Filius eius primus, natus ex adulterio, infans moritur quod Nathan propheta regi prædixerat. Mater*

deinceps Solomonis facta, filio ſuo, prophetæ eiuſdem auctoritate, regnum confirmat, à quo ſummo in bonore habita eſt. Ipſa ad grandem ætatem peruênit. Stirpe Solomonis deleta, ad Nathanem, alterum Dauidis filium, maieſtas regni Iudaici transfertur.

120. AMNON.

AMNON *primogenitus Dauidis filius, ex Achinoë vxore, quam in exilio duxit, animoq; egregiè charam, regio poſtea thalamo honeſtauit. Amore hic iuuenis incenſus furioſo, ſororem Thamarim ex alia matre, perditè deperit, ſuaſuq; patruelis Abinadabi, morbum ſimulans, eiuſdem lenocinio puellam ad ſe allectam, violenter comprimit. Addit ad miſeræ contumeliam, eiectionem quoq;. nam nec ſupplicem audit, & dehoneſtatam è domo expellit. Abſolon motus ſororis ignominia, cùm nec Amnonem facti nefarij pœniteret, nec à patre rege caſtigaretur: tacitè ſecum de vindicta cogitat, & demum poſt biennium, filios regios ad conuiuium inuitat, & Amnonem incautum inter vina obtruncat, & animum in patrem retinet hoſtilem.*

121. ABSOLON.

ABSOLON ex Maacha, regis Geſſureni filia, tertius filius Dauidis, nulla animi corporiſq; dote caruit. Propter fratrem interfectum, extra patriam degit annos tres: & duos alios, etiamſi reuocatus eſſet, in patris conſpectum non vênit. Gratiam à patre impetrat per Ioabum, qui cùm tardius ageret negocium, eius villam ſegeteſq; incendit. Traductis tandem ad ſe non ſolùm vulgi, ſed multorum optimatum animis, cœtus factioſos agitat, bellum ſuſcitat, patrem fugat, concubinas publicè ſtuprat, regnum occupat. Prælio cum paternis ducibus commiſſo, terga dare compellitur, ramiſq; quercus cæſariе inuolutus, & capite adhærens, tribus haſtilibus à Ioabo percutitur. Corpus eius in foueam proiectum, lapidibus ſuperiniectis tegitur, carensq; liberis nullam ſui relinquit memoriam, præter coloſſum à ſuo nomine dictum, quem ſibi viuens ipſe in agro erexerat. Cædes eius nulli hominum fuit acerbior, quàm patri Dauidi: ſed in planctu triſtiſſimo, diuinæ cedens iuſticiæ, animo tandem acquieſcit.

122. ADONIAS.

ADONIAS ex Agide, quartus Dauidis filius, ingenio prauo & turbulento. ſtulta enim regnandi cupiditate contra patrem ſenem tumultuatur: cum eo conſpirant ambitione & amaru-

amarulentia duo ſummi viri, & antea Dauidi amiciſſimi, Ioabus dux, & Abiathar ſacerdos. In ipſo conuiuio, quod regio luxu & apparatu Adonias inſtruxerat, nuncius affertur regis inſignib. vti Solomonem, vnctum à Propheta, confirmatum à patre, receptum à multitudine. Qua fama territi complices Adoniæ, hinc inde diſperguntur: ipſe ad aram confugit, & vitam à fratre flagitat. Verùm cùm inſidioſo Sunamitidis coniugio, regnum denuo quæreret, à Solomone iubetur de templo auelli atq; interfici.

123. NATHANES.

NATHANES *ex Bathſabea Dauidis alter filius, patri chariſſimus, quem cum Solomone regni hæredem conſtituit, ea conditione, vt alterius ſtirpe extincta, altera ſuccederet. Igitur cùm Solomonis poſteritas in Ochozia deſiiſſet, mater eius ſanguinaria, omnem ſtirpem & ſobolem Solomonis immaniter ſuſtulit: ſed ereptus ei eſt adoleſcens Ioas, qui è poſteris Nathanis regno potitur. Hunc Nathanem ea de cauſa Lucas Euangeliſta, loco Solomonis, in Chriſti genealogia collocauit.*

124. GADVS.

GAdvs *Propheta in Iudæam è ſolo Moabitarum, exulem Dauidem reuocat, vt ipſius videlicet liberatio in patria, eſſet Eccleſiæ notior, & Deo potius, quam regi barbaro aſſcriberetur. Idem, cùm populum numerari & cenſeri rex iuſſiſſet, è tribus pœnis, inediæ, exilij, morbi, optionem vnius proponit: cumq; rex poſtremam elegiſſet, & populus multus peſtilentia caderet, regem inſtinctu Angeli hortatur, vt Deo ſeruatori aram extrueret, & delicti ſuperbi, votis nuncupandis, & holocauſtis offerendis, veniam peteret, & fide certa à Deo peccati condonationem expectaret.*

125. NATHAN.

NAthan *propheta, tempore Dauidis, nominis clariſſimi, & animi liberrimi: miſſus ad ipſum, de regni perpetuitate, optata loquitur: & eundem adulterij cædisq; reum, tectè quidem, ſed animoſè obiurgans, primùm iram Dei propter commiſſa facinora grauiter denunciat: deinde rurſus de manſuetudine eiuſdem & facilitate ſalutariter & iucundè verba facit. In errore magno verſatur, dum iubet Dauidem, templum Deo extruere: qui error diuina reuelatione ei oſtenditur & aperitur, & ipſe rex melius à Deo inſtituitur. Factus adoleſcentis Solomonis præceptor eſt, quem omni pietate doctrinaq;*

naq́;,tali adoleſcente digna, inſtruit. Adonia tumultuante, cauſam Solomonis tuendam, bonis & honeſtis rationibus, ſuſcepit. Tandem iuſſu Dauidis Solomonem inungens, coronam regiam ſuo diſcipulo imponit, & ipſum populo laudibus meritis commendat.

126. ABIATHAR.

ABIATHAR *ſacerdos, filius interfecti à Doëgo Achimelechi. Temporibus Sauli, ad Dauidem ſe confert: Abſolonis, cum eodem exulare cupit, ſed ab ipſo Dauide prohibetur. Propter talem fidem, & optimi patris eius memoriam, ſummi ſacerdotij dignitatem Dauid ei tribuerat, ſed oblitus meritorum, cum Adonia conſpirat: quæ de cauſa à Solomone in agrum Anathotenſem relegatus, vitam priuatus finit. Honor ſacerdotij à poſteritate Ithamaris, in qua ab Heli, vſq; ad hunc eius abnepotem, annos circiter octoginta durauerat, rurſus in familiam Eleazaris transfertur.*

127. SADOCHVS.

SADOCHVS *ſacerdos, de ſtirpe Eleazaris, filij Aaronis procreatus, filius Achitobi. In honore habetur à Dauide, cum quo etiam, ſi ei permiſiſſet, ire in exilium voluit: exulanti tamen*

quæ

quæ cauenda forent, per filium ſuum tacitè nunciari, fideliter curauit. Demptum de Abiathare ſeditioſo ſacerdotij munus, Solomon Sadocho confert, quæ dignitas in eius familia multo tempore durauit.

128. IONATHAS ET ACHIMAAS.

IONATHAS *Abiatharis, Achimaas Sadochi filius, fratres patrueles, ambo ſacerdotes, explorato Abſolonis cõſilio, id Dauidi enunciare contendunt, vitæ ſuæ diſcrimine: proditi à quodam Abſolonis ſeruo, qui eos colloquentes cum ancilla in agro viderat, iubentur inquiri & comprehendi. Ipſi quoddam ingreſſi caſtellum, per hoſpitam in puteo abſconduntur, cuius ore obſtructo latent, & milites inſequentes fallunt. Dauid ab ipſis admonitus, trans Iordanem e veſtigio ſe recipit, & periculum à filio nefario imminens, declinat. Achimaas de percuſſo Abſolone primus regi nuncius fuit: Ionathas in populari tumultu Adoniæ reſtitit. Miſſi ambo ad tribum Iudæ legati, de Dauidis animo, tribulibus ipſius lætum atque optatum nuncium afferunt.*

129. OZA.

OZA *Gabaonites, Aminadabi filius, arcam Domini è domo paterna eductã, vnà cum fratre obſeruantiæ cauſa proſequitur. In itinere bobus calcitrantibus, benna, in qua arca vehebatur, propemodum euerſa eſt: quam vt ſuſtineret, Oza voluntate bona & religioſa, manum admouit, atq; arcam tetigit. Ob id factum mortuus ſubitò concidit, cum magno ipſius Dauidis, & multitudinis totius ſtupore atq; formidine. Arcam tractare ad ſolos ſacerdotes pertinuit, & muneris alieni vſurpatio huic viro mortem repentinam attulit.*

130. VRIAS.

VRIAS *Hethæus proſelytus, vir clarus & ſtrenuus, inter heroas ſeculi ſui reputabatur. Eius vxorem temere viſam, & furenter amatam Dauid rapuit, quæ cùm grauida eſſet facta, è caſtris maritum euocat, vt ſi domi ſuæ pernoctaſſet, adulterium regis cælaretur. Vir optimus, dum arca Domini & exercitus regis, ſub dio in tentorijs agerent, intrare tectum, & vxorem tangere noluit. Dauid & Dei ipſius & omnis pietatis immemor, literas Vriæ ad legatum ſuum dat, in quibus perſcribit, vt in acie hoſtibus obyciatur, in qua ille loco periculoſo dimicans pro patria, & rege, ſagitta feritur, & proditio-*

proditione Dauidis, aſſenſuq; Ioabi indignè interficitur.

131. ETHAIVS.

ETHAIVS *Gethæus proſelytus, & cliens Dauidis, ad populum Dei à Philiſtinis ſe aggregauerat. Dauidem filij Abſolonis tyrannide fugatum, in exilium ſequitur, cumq; ei rex gratias ageret, inq; vrbem, in qua nuper ſedem fixerat, reuerti iuberet: planè noluit ab ipſo diſcedere, ſeq; in vita & morte cum Dauide manſurum promittit. Lectus inter optimates, agmen poſtremum duxit contra Abſolonem, & fidus regis amicus atq; ſocius etiam difficillimo tempore manſit.*

132. CHVSAIVS.

CHVSAIVS *Arachites, abundans animo & conſilio, Dauidi filium fugienti occurrit, futurus exilij, & periculorum, & ſpei etiam melioris particeps: cùm ſe non temporis, ſed regis amicum profiteretur. Rex ipſum humaniter allocutus, ſuadet in vrbem vt redeat, ſeq; Abſoloni ſubijciat, inprimis ad retardanda periuri Achitophelis pernicioſiſſima conſilia. Adiens Abſolonem in numerum conſiliariorum aſciſcitur. Achitophel cùm Dauidem illa ipſa nocte*

 inſequen-

inſequendum, & feſſum de itinere opprimendum cenſeret: Chuſaius contra ipſum ſpecioſam dicens ſententiam, regem adhuc imperitum & eius familiares, in ſuas partes trahit. Interea Dauid admonitus, è filij manibus elabitur, & noctis vnius interiecto ſpacio, adipiſcitur ſalutem. Abſolonem in prælio ſublatum, cùm cæteri ad regem deferre dubitarent, ipſe confidenter cædem eius obnunciat.

133. BARCILLAIUS.

BARCILLAIVS *Galaadites, vir magnificus & copioſus, Dauidi maximè egenti, maximè munificum ſe præbet, & exercitui eius commeatum impertit: quod beneficium ita opportunum gratumq; Dauidi accidit, vt eum in aulam ſuam vocaret pollicitationibus & honoribus. Verùm ſenectutem ſuam & vitæ conſuetudinem excuſans, agere ruri & mori in patria præoptauit, vitamq; aulæ ſplendidam recuſauit: ſibi videlicet futuram moleſtam, ſeni octogenario: iniucundam, voluptatum et deliciarum contemptori: oneroſam deniq;, calumniarum & inuidiæ experti. Ne tamen ſeni liberaliſſimo nulla referretur gratia, Chamaanem familiarem eius ſibi commendatum, in clientelam rex accipit, & iamiam moriturus filio Solomoni mandat,*

dat, vt liberis Barcillai benignè faciat, & eos de menſa regia ampliter alat.

134. SIBA.

SIBA *quæſtor Miphiboſedi, Ionathæ filij, ſtudioſior ſui commodi, quàm regij adoleſcentis. Dauidem ab impio filio pulſum iuuat commeatu, ſed falſo crimine ſuum herum accuſat: cuius delationis gratia bonis herilibus potitur. Poſt partam de Abſolone victoriam, cum filijs quindecim & vernis viginti, agricolis robuſtis, Dauidi rurſus occurrit, eiq; vadum Iordanis aperit. Propter eiuſmodi beneficij conſtantiam, data prioris cupiditatis venia, partem bonorum heri ſui adhuc obtinet dimidiam, non veritate tamen ſed adulatione.*

135. SEMEIVS.

SEMEIVS *Sauli agnatus, Dauidis æmulus, homo prauus & futilis, Dauidem fugientem non ſolum maledictis, verumetiam lapidibus inſectatur: quæ conuicia, & quod facinus animo patientiſſimo rex tulit, nec illi vim fieri à milite paſſus eſt: & pro iſta maledicentia, in ſua afflictione, à Domino bona expectat. Idem audito Abſolonis interitu, ſupplex ad Dauidem primus accedit, & trans Iordanem cum ſuis*

ſeruitijs traducit, veniamq; procacitatis merito recente impetrat. Solomon pœna capitali ei interdixit, ne extra vrbem regiam exiret: quod cùm ille faceret, ſeruos quoſdam fugitiuos inſequens, capitis ſupplicium incurrit.

136. ACHITOPHEL.

ACHITOPHEL *tanta apud Dauidem æſtimatione habitus, vt quidquid diceret, de cœlo prolatum duceretur. Defectione eius tantopere Dauid conſternatus eſt, vt nullo vnquam periculo magis. Tanta perfidia fuit, vt de comprehendendo Dauide daret conſilium: tanta improbitate, vt Abſoloni auctor eſſet thorum paternum luce clara coram populo contaminandi. Cùm autem ſuum conſilium vtile repudiari, ſuamq; auctoritatem Chuſaij ſententia minui vidiſſet: indignatione victus, ex vrbe diſcedit, & præ impotentia ac trepidatione laqueo ſibi fauces intercludit. Preces Dauidis hunc ſceleratum aulicum ad ſuſpendium adegerunt. Filius eius Helian, viris ſui æui eſt fortiſſimis annumeratus.*

137. SEBA.

SEBA *Bichri filius, iuuenis audax & inquietus, vix ſedato Abſolonis tumultu, nouos*

nos terrores ciet, tribuſq́; Iſraëliticas omnes à tribu Iuda auellit. Dauid intellecta eius confidentia, præfectos ſuos ad eum capiendum celeriter mittit, à quibus intra muros oppidi Abelæ improuiſò obſidetur. Ciues timidi & hæſitantes, mulieris cuiuſdam ſuaſu, caput Sebæ amputant, & extra vallum proijciunt. Hominis temerarij morte, & vrbs ab excidio manet incolumis, & cæteri factioſi ſubitò redeunt ad officium.

138. IASABEAMVS.

IASABEAMVS *Hachimonis filius, dignitate, prudentia, fortitudine, vir omnium eminentiſſimus. Tempore perſecutionis Saulis, quo optimus quiſq; in maximo periculo fuit, in ſpeluncam Odollam ad Dauidem venit, & eius ſe agmini adiungit. Philiſtinos trecentos, vt in libro primo Chronicorum ſcribitur: octingentos, vt in libro altero Samuelis, vno prælio ipſe ſolus proſtrauit: quod ſi diuerſis etiam temporibus factum eſſet, pro miraculo haberetur.*

139. ELEAZAR.

ELEAZAR *Dodi filius Abohites, ſua virtute, ad prouocandos Philiſtinos profectum exercitum liberauit, cumq́; res in ſummo eſſet diſcrimine, pugnauit tam diu, vt manibus*

deſatigati gladius ita adhæreret præ ſudore, vt ei eripi difficulter potuerit. Victoria ingenti potitur, & hoſtes cæſos dat ſocijs ſpoliandos, præ laſſitudine ipſe destitutus viribus. Hic locum inter heroas Dauidis ſecundum obtinuit.

140. SAMMA.

SAMMA *Agæ filius Hararites, Philiſtinos agrum villæ cuiuſdam diripientes, inuadit, & villam ipſam defendit. Socij ipſius ex alia parte fugati ſunt, ſed ſuam ipſe ſtationem non deſeruit, ſolusq; dimicans hoſtibus terrori, ſuis ſaluti fuit, & victoriam amplam retulit. Inter Dauidis heroas tertius reputatus.*

141. BANAIAS.

BANAIAS *Ioiadæ viri fortiſſimi, filius præſtantiſſimus, duo Moabitarum caſtella cum ſuis præfectis capit, & leonem, in ciſternam lapſum, ſine armis aggreſſus ſtrangulat. Prouocatorem Aegyptium, altum cubitos quinq;, dignum videlicet ſpectaculo hominem, pedo aggreditur, & extorta ei de manibus valida haſta, ſuo ipſum telo ſuperat. Hunc Dauid ſibi adhibuit, vt à ſecretis eſſet, eumq; regiarum cohortium ducem fecit: Solomon, vt eſſet à corporis cuſtodia, qui deinceps poſt Adoniam, Ioabum, Semeium inter-*

interfectos, eum toti ſuo præficit exercitui. Inter heroas ſuorum temporum nominatiſſimos, præcipuam ferè laudem tulit.

142. HADADEZER.

HADADEZER *rex Sobæ, regis Damaſceni auxilio, vltra Euphratem imperium ſuum extenderat, quem vnà cum ſocio ſuo, Dauid rex prælio memorabili deuicerat. Eo ſuperato Dauid equis captis neruos incidit, et prædam magnam & opulentam templo dicauit: è qua poſtea facta ſunt vaſa aurea, item labrum, columnæ, altare æneum. Idem bellum renouans, ducem Sobachum mittit, è cuius exercitu Dauid quadraginta millia militum cædit, octo & quinquaginta in fugam conijcit. Sobachus vulneratus oppetit. Tam grandi clade domitus, pacem cum Dauide inijt, eiq; factus eſt tributarius.*

143. ANNON, AMMONITA.

ANNON *Ammonitarum rex, Naæ filius, paterni in Ebræos odij imitator. Legatis Dauidis ad ſe honoris cauſa miſſis, partem barbæ radi, & oras veſtium præſcindi iubet, ludibrij*

cauſa: quam iniuriam cùm ſciret regem potentem vlturum, militem conſcribit, & regum è Syria quærit ſocietatem. Agmen duplex ducentem, inuadunt Ioabus & Abiſaius fratres, Dauidis auunculi. Ioabus Syros, Abiſaius Ammonitas in fugam vertit, et compellit intra præſidia. Ammonitæ bellum inſtaurantes viribus maioribus, iterum fugantur, quibus deinceps ferre auxilium Syrij detrectant.

144. HIRAMVS, TYRIVS.

HIRAMVS *Tyri rex, & cum Dauide, & cum Solomone, propter vtriusq; virtutem & ſapientiam, fœdus multorum annorum habuit. Ad extruendum templum & regiam, non modò materiam lignorum, verumetiam fabros & artifices mittit: ipſe à Solomone viciſſim, pro aulæ ſuæ alimentis, triticum atque oleum accipit. Vrbes aliquot deſertas Solomoni donat: ſibi viciſſim ab eo donatas, tanquam viles & lutoſas contemnit. Claſſem cum Solomone inſtruit in Ophyram inſulam, auri feraciſſimam: nominis Iudaici, & regum ſapientiſſimorum ſocius & amicus, totius vitæ tempore fideliſſimus.*

SOLO-

145. SOLOMON, REX III.

Solomon Dauidis è Bathſabea filius, præceptorem habuit prophetam Nathanem: à quo etiam regni diademate ornatus eſt. Iuſſus à Deo petere quæ vellet, ſapientiam petijt: Deo ipſi dante & ſapientiam inauditam, & diuitias immenſas. Templum Domini ſumptuoſè, regiam magnificè extruxit: vrbes muniuit, fecit horrea, claſſem ædificauit. Satellite vſus eſt Chryſaſpide. Nominis ſui veneratione atque terrore finitimos à patre non ſubactos, ad tributa coëgit pendenda. Eum propter virtutem coluit rex Tyri: propter ſapientiam adijt Arabiæ regina: propter felicitatē admirati ſunt omnes nationes & populi. Mulierum externarum amoribus inſanis correptus, aſperſit maculam exiſtimationi ſuæ. nam ab illis occæcatus per blanditias, deos gentiles adorauit, & in eodem monte, quo Dei templum ſtetit, Aſtartæ fanum poſuit, vt alijs locis, dijs alijs, quibus ſcandala in populo Dei horrenda ſunt excitata. Regnauit annos quadraginta, ſumma gloria & felicitate, mortuus ætatis ſecundo & quinquageſimo. Reliquit doctrinæ & ſcientiæ ſuæ monumenta inſignia. Chriſtus præfert omnib. ornamentis Solomonis, floſculorum in agro pulchritudinem.

146. ARABIAE REGINA.

ARABIAE *regina, rumoribus excita, è Saba Ieroſolymam, cum ingenti agmine principum, & virorum lectiſſimorum accedit: theſauros multos & precioſos gemmarum atque auri, & frugum odoriferarum ſecum deportat, & inprimis radices balſami, vt recentiores Græci tradunt. Habito cum rege ſermone, nihil tam inſolitum fuit, cuius cauſam ignoraret: nihil tam abſconditum, quod non intelligeret: nihil tam abſtruſum, quod non explicaret. Magnitudine eruditionis & ſapientiæ, regina obruta ſic fuit, vt nihil haberet amplius, quod proponeret: ſic obſtupefacta, vt rapta extra ſe videretur, pudore atq; ſilentio. Reginam hanc Solomon oneratam muneribus dimittit: ſtudium eius in cognoſcendo, Chriſtus ipſe commendat. Domum reuerſa nomen Dei, ſapientiam regis, ſplendorem populi, felicitatem gentis totius, neq; admirari neq; extollere ſatis potuit.*

147. ADADVS.

ADADVS *Idumæus, è manibus Ioabi, omnem ſtirpem maſculam delentis, ætate tenera ereptus, cum manu Moabitarum, quam aſciuerat, exulatum abijt in Aegyptum. Ibi propter*

pter induſtriam affinitate regia & honoribus auctus, in patriam redit, Syriæ partem armis ſubiugat. Potentia eius creſcente, regi Solomoni aduerſatur, & ex ipſius prouincijs prædas hinc inde agit, nemine prohibēte: cùm duces Solomonis non expectaret, omnia fraudulenter ageret.

148. REZON.

REZON *Eliadæ filius, regis Hadadezeris miles transfuga: propter audaciam & ſucceſſum dux latronum fit, & vrbem regiam Damaſcum occupat. Iſraëlitas vexare incurſionibus & latrocinio non deſtitit, & Solomonis, qui regum vicinorum terror erat, potentiam ſuſtinuit, adeò vt ei non valeret reſiſtere, modò his, modò illis agris atq; vrbibus vim præter opinionem inferenti. Hoc Solomoni accidit propter cultum idolorum, & furores non legitimos.*

149. HIRAMVS, ARTIFEX.

HIRAMVS *artifex, patre Tyrio, matre Ebræa progenitus: de tribu Nephtalim, vt libri Regum: de tribu Dan, vt Chronicorum teſtantur. Regibus Tyri charus, excellentia artis & ingenij: ab ijs ad Solomonem miſſus, templum*

plum Dei, & arcem regis extruit, tanta peritia, tantoq́; artificio, vt ſimiles ædes opere, magnifi centia, ſumptu, ornamentis, terrarum orbis nullibi habuerit.

150. ADONIRAMVS.

ADONIRAMVS *ſpectatæ vir diligentiæ, præfectus Solomonis ad inſpiciendum labores & operas fabrûm trium millium & trecentorum, qui architectones eſſent: baiulorum ſeptuaginta millium, qui onera portarent: lapicidarum octoginta millium, qui ſaxa & marmora foderent. Tam graue munus de voluntate regis ſuſceptum exequitur ſtrenuè & viriliter, exemplum viri laborioſi & induſtrij.*

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER QVINTVS.

Regni Iſraelitici, ſeu Samaritani.

151. IEROBOAMVS, REX I.

IEROBOAMVS *Ephratites Nebathi filius, ſatrapa Solomonis, fortis & haud inſtrenuus, decem tribuum rex à Propheta Abia deſignatur. Ea fama peruulgata, pauore in Aegyptum profugit: & poſt Solomonis mortem reuerſus in patriam, rex proclamatur publicis comitijs. Mutandæ religionis conſilium, vt regnum retineret, omnibus hominum vocibus vituperandum init, vitulos aureos in duobus regni finibus erigit, & dies feſtos, & tempus adorationis per hypocritas inſtituit: pios & ſinceros ſacerdotes, ciuesq́; moris veteris retinentes, agit in exilium. Prophetam monitorem cùm ipſe compræhenderet, manus eius motu priuata exareſcit,*

quam

quam precibus Propheta integram recuperat. Sæpius accuſatus ab Ahia, nihilo fit melior: vndè quoties literæ ſacræ regem impium appellant, Ieroboami dicunt ſecutum veſtigia. Regnauit annos duos & viginti, hypocritarum pertinaciſſimus.

152. AHIAS PROPHETA.

AHIAS *Propheta Silonites, temporibus Solomonis floruit, & regni à ſtirpe eius alienationem, animo diuino præuidit. Factus in agro obuiàm Ieroboamo, præfecto regio, pallium ſuum in partes duodecim æquales diſcindens, partes ei decem tradidit: quo ſigno dominatus ampliſſimi ſpem indubitatam facit, eiq́; de Dei mandato, & veræ pietatis ſtudio fideliter quidem, ſed fruſtra planè concionatur. Idem Ieroboami vxori, de filij morbo ſe conſulenti, prædicit, & pueri mortem, & mariti cum omni eius poſteritate interitum.*

153. PROPHETA NON NOMINATVS.

PROPHETA *è Iudæa miſſus ad Ieroboamum, de euerſione altaris Bethelenſis vatici-*

vaticinatur, & nomen euerſoris futuri nominat Ioſiam. Iratus rex Prophetam vincire vult, ſed prohibetur miraculo: rurſus ei placatus, munera promittit, ſed ea vir ſanctus repudiat, non neſcius gratiam Dei non emi pecunia. Iuſſus iter ſuum ieiunus conficere, ad Prophetam hypocritam, qui ab Angelo ſibi nunciatum diceret, vt ſuo hoſpitio vteretur, diuertit. Id quoniam contra Dei iuſſum, prætextu tamen ſpecioſo fecerat, inter eundum à leone dilaniatur, & in ſepulchro extra ſuam patriam cõditur. Qui Deum non audit, etiamſi Angelos audiat, delinquit lethaliter.

154. NADABVS, REX II.

NADABVS *Ieroboami filius patrio inſtituto impius, regnandi auiditate bellum Philiſtinis infert, et vrbem Gebethonem obſidet: cui inſidias ſtruens, Baëſa æmulus eius, in caſtris ipſum interficit. In hoc Nadabo ſtirps & regnum Ieroboami deſinit, quodq́ue per Abiam Prophetam Deus fuerat minatus perfido patri, id ſtatim in filio improbo perficit. Nadabus enim anno regni ſecundo de vita tollitur miſerrimè.*

155. BAESA, REX III.

BAESA

BAESA *filius Abiæ, de tribu Iſaſchar, ad regnum ſcelere peruênit, cui cùm Propheta Iehus voluntatem Dei exponeret, & ad pœnitentiam illum prouocaret: eum nihili planè facit, nec à vijs malis atq; impijs Ieroboami diſcedit. Vrbem Ramam munit, vt itum reditúmue populo Aſæ intercluderet: cùm autem propria fideret potentia, à Benhadada Syro vincitur: Ramam propugnaculum ipſius, Aſa Iudæ rex demolitur. Regnauit annos quatuor & viginti.*

156. ELLA, REX IIII.

ELLA *Baëſæ filius, fatuus & temulentus, Iehum Prophetam propter libertatem interficit. Ipſe cùm volutaretur in delitijs, & vino indulgeret cotidie, à Simrio magiſtro equitum inter vina opprimitur, neq; quiſquam de omni eius ſtirpe, relinquitur ſuperſtes. Regno præfuit annis duobus.*

157. IEHVS PROPHETA, MARTYR.

IEHVS *Propheta, mente intrepida Dei iuſſa executus, Baëſæ & Ellæ regibus, propter idololatriam teſtatur inſtare interitum, & ſepulturam*

turam cum dedecore, quia canibus & auibus prædæ futuri eſſent. Id ſibi, non ad emendationem atq; ſalutem, ſed ad patris contumeliam, & ludibrium ſui, dici Ella exiſtimans, contaminat ſe ſanguine innocente viri ſancti, ſua morte comprobantis, Dei voluntatem reges non eſſe cœlandam.

158. SIMRIVS, REX V.

SIMRIVS *audacia & aſtutia famoſus, rege necato vrbem Tharſam, ſedem regiam occupat, & diadema populo inſciente rapit. Delata in caſtra Iſraëlitica, Gebethonem obſidentia, facti inuſitati nouitate, & regis occiſi nuncio, ducem militiæ Amrium, regem creant, & ad Tharſam recuperandam exercitum vniuerſum adducunt. Simrius conſcientia facinoris & periculi præſentia amens, regiam clauſam incendit, & cum ſcelerum ſocijs ſe cremat, die tyrannidis occupatæ ſeptimo.*

159. AMRIVS, REX VI.

AMRIVS *per tumultum regnum adipiſcitur, diuiſo enim poſt Tharſam receptam*

in duas factiones populo, à nonnullis eligitur Thibnius, ſed Amrij fautores præualuerunt. rege autem alterius factionis, in ipſa contentione mortuo, conſenſu communi Amrius rex ſalutatur. Hic ædificat Samariam, & propter loci opportunitatem, in eam transfert aulam & domicilium: nec deſiſtit cumulare maiorum improborum delicta grauiſſima. Annos regnauit duodecim. Interceſſit inter regnum annorum quatuor.

160. ACHABVS, REX VII.

ACHABVS *Amri filius, regum omnium impiiſſimus, propter vxorem gentilem & maleficam. Auctor fœdiſſimarum ſuperſtitionũ eſt, fœdera cum exteris init, regem Iudæ Ioſaphatum, virum bonum & ſimplicem ſeducit. Nabotho primùm vineam, deinde vitam eripit. Prophetam Eliam acerbè perſequitur, Micheam percuti ſinit, alium ignoti nominis à ſe abigit. Pugnat feliciter cum Benhadada Syro bis, tertio congreſſu ſagitta percutitur. Elias & ipſi & vxori aliquoties denunciauit dira, idem Micheas fecit, idem alij: ſed eos aut contempſit apertè, aut decepit ſimulatione, aut fugauit iracundià. Eius currus, in quo vulneratus erat, cùm in profluente Samariæ lauaretur, canes cruorem interfe-*

interfecti lamberunt. Annos duos & viginti ſceptrum tenuit, quo ne vno quidem menſe, dignus fuit.

161. IEZABEL.

IEZABEL *Sidonia, regis filia, regis vxor, regum duorum mater: mulier importuna, iracunda, ſuperba, habens & mentem & faciem fucatam, Eccleſiaſticis & politicis negocijs ſeſe impudenter ingerens. In ſacerdotes Domini ſine modo ſæuit, hypocritas & honoribus auget, & ſuis alit ſtipendijs. Eliæ perpetuò inſidiata eſt, nec nomen ferre eius potuit: Nabotho vitam mendacio & periurio eripuit: omne tempus ætatis in luxu propudioſè egit, marito Achabo, filio Ioramo fax impietatis & iniuſticiæ. Tandem de feneſtra præcipitata perijt, & equorum vngulis conculcata, & à canibus laniata fuit. ſepulchro enim caluaria, pedes, & ſummæ manus tantùm ſunt illata.*

162. ELIAS PROPHETA.

ELIAS *Thesbites, Prophetarum maximus, de cuius raptu & tranſlatione abſcondite Moſes locutus eſt, operum incredibilium effector.*

Cœlum ſuis precibus claudit annos tres & dimidium: rurſus pluuias à Deo impetrat: ignem de cœlo vocat, modò conſumentem holocauſta, modò centuriones regios: hoſpitæ filium mortuum ſuſcitat: aquis melota diuiſis pede ſicco Iordanem tranſit. Regem Syriæ Azabelem, & Iebum Iſraëlis vngit. Cum Achabo contentiones iuſtas, pro laude diuini nominis, ſuſcipit: reges item Iudæ Ioſaphatum & Ioramum, & verbis & literis hortatur & obiurgat: nuncios Ochoziæ igne cœleſti cremat Benhadadam Syriæ, in morbo conſolatur. Tempore inediæ, primùm paſcitur à coruo, ei panes & carnes deferente: deinde à vidua, hoſpita Sareptana: demum in deſerto, cibum illi Angelus miniſtrat, vbi etiam præ animi dolore, mortem optat. Poſt concilium Carmelitanum ſacerdotes Baaliticos octingentos et quinquaginta ferro iubet interfici: collegam ſibi aſſciſcit Eliſæum, villanum hominem. Deum ſibi colloquentem audit, in montibus Sina & Orebo: in Thabore verò monte, cum Chriſto colloquitur, tribus Apoſtolis præſentibus. Senex turbine rapitur & in cœlum euolat quadrigis igneis, cuius reditus à Malachia mundi temporibus extremis repromittitur. Docuit annos circiter viginti.

163. VIDVA SAREPTANA.

VIDVA

VIDVA *Sareptana, inſigni fide & beneficentia mulier: habitauit iuxta Sidonem, in officina metallica. Ad eam diuino inſtinctu propheta Elias mittitur: cui famis tempore, iuſſa cibum parat, ſibi vnicoq; filio detrahit. Ideo capſaci aut vrnulæ ipſius nunquam farina, aut gutto oleum deerat, tota illa tempeſtate difficilima. Filius eius morbo ſubito correptus extinguitur, quem propheta adueniens, motus miſericordia, precibus in vitam reuocat, eumq; matri lætæ atq; exultanti reſtituit. Nullo bono nulloq; ſolatio deſtituuntur, qui in alenda Eccleſia ſunt officioſi & munifici.*

164. ABDIAS AVLICVS.

ABDIAS *aulæ regis Achabi præfectus, benignus fautor Eccleſiæ, ſed non apertus. In perſecutione piorum, quam regina vrgebat valde immaniter, prophetas centum in ſpelunca, abditos, aluit pane & aqua. Eliam vt audiuit Samariam veniſſe, perturbatus eſt, eiq; ſignificauit, quod quæſitus ad cædē ſit, in totius regni finibus. Regi iuſſus indicare Eliam adeſſe, metu id facere primùm noluit, deinde cùm animum recepiſſet, confidenter id fecit. Fideles & fortes cōcionatores reddūt pios et animoſos diſcipulos.*

165. NABOTHVS.

NAbothvs *Iezraëlita, prope regis palatium, vinetum coluit, fundum paternum: quem regi neq; vendere precio voluit, neq; permutatione concedere, lege videlicet diuina prohibitus. Ea de cauſa Achabus tantopere ſtomachatus eſt, vt cibum præ ægritudine non caperet. Regina facinoroſa literas ad ſenatum & optimates mittit, quibus Nabothum læſæ maieſtatis falſò accuſat: is vocatus in iudicium, et teſtibus conductis damnatus, ſaxis obruitur. Eius vinetum rex occupat, agri alieni raptor iniuſtus: cuius tamen poſſeſſionẽ filij regij nõ retinuerunt.*

166. PROPHETA NON NOMINATVS.

PRopheta *quidam ad Achabum metu anxium mittitur, qui ipſum conſilio inſtruat, quo Syriæ regem Benhadadam aggrediatur & vincat: ideoq; rex ſibi gratulatus, & victoria mox potitus eſt. ſed Prophetæ præceptorum immemor & negligens, vitæ hoſtis parcit, & ſocietatem init cum eo, quem vincire, & de vita tollere rectum fuiſſet. Ob quam lenitatem Propheta regem increpat, & iram Dei iamiam arſuram in populum, denunciat. rex ſucceſſu elatus,*

elatus, & populus ſecuritate peruicax, virum ſanctum irrident, & exitium, quod ipſis ſupra caput erat, non proſpiciunt.

167. BENHADADAS I. SYRVS.

BENHADADAS *Syriæ rex, ſui ſeculi potentiſſimus: cum duobus regibus Iudæ, Abia & Aſa confœderatus fuit: cum tribus regibus Iſraëlis Baëſa, Achabo, Ioramo, ferro dimicauit: Baëſam vicit vna incurſione: cum Achabo geſſit bella tria. Primo ſecum educit reges duos & triginta, ſed in fugam conijcitur: altero centum millia peditum amittit, qui gladio occubuerunt: ſeptem & viginti millia, qui ruina vrbis cuiuſdam opprimuntur: tertio demum victor euadit, quo & Ioſaphatus rex fugatus eſt, & Achabus ſagitta traiectus. Iorami temporibus obſidione & fame preſſit Samariam: à qua mirabiliter exercitum eius Deus depulit, ita vt metu & terrore, caſtra opulentiſſima fugiendo deſereret. Damaſci ætate decrepita in morbum incidens, Eliſæum conſulit: ſed mox à præfecto ſuo Azabele, quem ad Prophetam miſerat, in lecto ſuffocatur.*

168. FOEMINA SVNAMIS.

IN *Suna oppido fœmina quædam, Eliſæo ſæpe tranſeunti, conclaue parat, in quo meditationi & orationi ſine interpellatione vacaret. Pro tali pietatis officio, Deum propheta exorat, vt hoſpitæ ſterili daret filium, quem morbo inopinato ſublatum, matris querimonijs impulſus, in vitam incubitu & precibus reſtituit. Penuria inualeſcente eidem perſuadet, vt in vrbem aliquam Philiſtinorum ſe conferret. Interea ipſius domum atq; agrum propinqui inuadunt: ſed delata ad regem Ioramum redeuntis querela, dum pro ea famulus Eliſæi loquitur, ſuas poſſeſſiones cum honore recipit.*

169. GEHAZVS.

GEHAZVS *Eliſæi famulus, Sunamin hoſpitam etiam atq; etiam Prophetæ commendat, eiusq́; cauſam corã rege Ioramo agens, efficit, vt erepta ipſi abſenti bona redderentur. Eliſæi miracula Ioramo inquirenti fideliter exponit. A' Syro Nahamane, cùm argentum & veſtes accepiſſet, & hero ſuo interroganti eſſet quaſi inſcio mentitus, morbo contagioſo & fœdo inficitur, qui ad eius quoq; poſteros eſt vulgatus.*

170. PVERI BETHELENSES.

PVERI

PVERI *Bethelenſes improbi & proterui, & extra parentum domos in publico diſcurſantes, Prophetam Eliſæum canicie venerabilem, dum ad vrbis portam aſcenderet, gregatim ſubſannant, & ei caluitium petulanter exprobrant. Id cùm obiurgati, non deſiſterent facere, indignatione ſenili motus, imprecatur eis malum à Domino. Dictum factum, è vicino nemore binæ vrſæ egrediuntur, & pueros duos ac quadraginta, in ipſo ſuburbio impunè dilacerant.*

171. NAHAMAN SYRVS.

NAHAMAN *regi Syriæ vir acceptiſſimus, lepra infectus toto corpore, ancillulæ Ebreæ, quæ apud ipſum ſeruiebat, admonitu ad Eliſæum proficiſcitur. Domum prophetæ pulſans, admiſſus non eſt, ſed tantummodo iuſſus lauare in Iordane ſepties. Syrus ſe contemni exiſtimans, & fluuio vim talem non ineſſe credens, iratus diſcedit. monitus à miniſtris, vt rem factu facilem tentaret, in Iordanis aquam deſcendit & lauit, caroq́; eius exaſperata, ſicuti pueri teneri, lenis & nitida facta eſt. Itaq; ad prophetam reuerſus, bonitatem Dei ingentem extollit, & ſe cultorem eius fore in perpetuum compromittit. Munera ab eo oblata vir ſanctus non attingit, & ei abeunti optimè precatur.*

172. ELISAEVS, PROPHETA.

ELISAEVS *Saphati filius, ex agricola fit Propheta: auctoritate omnes anteceſſit, & reges ipſos non pertimuit. Eliæ præceptoris pallio Iordanem diuidit: aquas impetrat ſitienti exercitui: fontem amarum in ſalubrem mutat: mulieri pauperculæ ad ſoluendum æs alienum oleum auget: cibum lethalem corrigit farina: tempore inediæ paucis panibus nutrit multitudinem. Nahamanem Syrum à lepra liberat, eius aurum & munera repudiat: hoſpitæ filio defuncto vitam reddit, & ſui corporis contactu, iam ſepulchro conditus, aliud cadauer ſuſcitat. Pueris Bethelenſibus imprecatione vrſas rabidas immittit. In operta videt, & abſens, quæ alibi fierent, cognoſcit: vt mendacium Gehazi, & regis Syriæ inſidias. Copias hoſtium ſe obſidentes, & animis & oculis priuatas, intra mœnia regia, in ea cæcitate deducit, & eis vitam impetrat. In caritate extrema promittit vilitatem, quæ ſecuta eſt: regio præfecto obſtrepenti & incredulo mortem nunciat, qui in porta vrbis altero die eliſus compreſſu eſt. Regibus Syriæ, vni nunciat mortem, alteri prædicit regnum. In morbo rex Ioas eum inuiſit cum dolore & querimonijs. Docuit annos circiter ſeptuaginta: ludum ſuum propter*

pter

pter frequentiam ampliat, & ad Iordanis ripam in locum patentiorem traducit.

173. DISCIPVLI ELISAEI.

ELISAEI *diſcipuli, victu tenui alebantur: nam in luxu nunquam comparatur ſapientia: & exercebantur laboribus & vigilijs: otium enim præcipua morum peſtis & corruptela eſt. Accedebat temporum difficultas, & fames publica. ad horum mores & ſtudia inſpicienda cùm Eliſæus veniſſet, vnus ex illis ablegatur, qui herbas in agro colligeret, vndè pulmentum coqueretur: cuius imperitia & negligentia adoleſcentes penè vniuerſos perdidit. nam cùm agreſtem cucurbitam minuiſſet, eamq; præceptore inſciente, ad ignem admotam, socijs appoſuiſſet famelicis: è ſapore vim quandam veneni ſtàtim deprahenderunt, & Prophetam poſtulauerunt auxilium. Is inſperſa in lebetem farina, cibi amaritudinem corrigit, & è nociuo ingratoq; ſuauem atq; ſalubrem efficit. Eſus polentæ acerbæ eos admonuit paupertatis, odij, moleſtiarum, quæ pijs & laborioſis hominibus ſunt perferenda: ſimulq; edocuit, diuino beneficio cœtus diſcentium ali & ſeruari, & è multis vitæ periculis vel inſcientes liberari cotidie.*

174. MICHEAS PROPHETA.

MICHEAS *propheta Moraſthites, Iemlæ filius, bellum Syriacum ſuſceptum Iudæ & Iſraëlis regibus diſſuadet. Vocatus ad interpretandam Dei ſententiam, cùm loqueretur de ore Dei liberrimè, & prophetas vanos argueret mendacij, colaphus ei à Sedechia hypocrita impingitur. Iubente deinceps Achabo traditur duobus præfectis, viris primarijs, aſſeruandus, donec pateſieret veritas. Verùm rex eo prælio interijt, vti vaticinatus fuerat Micheas. hic ſe prophetis ſuperbis ſemper oppoſuit, & locum Chriſti natalem multis antè annis in ſuis concionibus deſignauit.*

175. SEDECHIAS HYPOCRITA.

SEDECHIAS *homo mendax, inſolens, & percuſſor, reges Ioſaphatum et Achabum miſerè decipit, ſuiſq; collegis ſe præferens, ſapientiam ſibi inanem arrogat, & obſtantem ſibi Micheam, regibus præſentibus verberat impudenter. Aſſeclas habuit ferè quadringentos, quos cùm in errorem abductos à malo quodam dæmone, Micheas diceret, eius ſuaſu in vincula conijcitur,*

citur, eiuſdemq́; ſententia dignus ſupplicio iudicatur. Tandem Sedechias cum ſuis hypocritis conuincitur vanitatis & audaciæ: & regum, qui ipſi crediderant, alter interficitur, alter vulneratur: ipſe væcordia & timore attonitus, latebras hinc illinc quærit, nec cuius opem tutò imploraret, vſpiam inuenit.

176. OCHOZIAS, REX VIII.

OCHOZIAS *Achabi filius, parentibus peſſimis ſimilimus, & pariter infelix. Ictum cum eo fœdus Ioſaphatus reſcindit, deficiuntq́; ab eodem Moabitæ. Lapſus de exedra ſuperliminaris, in ſuo conclaui, & valido corporis concuſſu grauiter ſaucius, de ſalute ſua legatos ire iubet ad Beelzebub Deum Philiſtinorum: quibus Elias Angeli admonitu occurrens, mutare ipſos iter iubet, & regem moriturum dicit, propter impietatem. Eo ſermone audito, rex tribunum quendam cum centuria dimidia mittit, qui captum Eliam adducat: ſed & tribunum & milites fulgur de cœlo comburit. mittit alterum, qui cum totidem viris eodem miraculo interit. mittit tertium, qui ſe excuſans vitam impetrat obſeruantia & precibus. Elias ab Angelo impulſus, regem adit, & obiurgatum, non fore ſuperſtitem*

ſtitem ait. Anno igitur regni ſui ſecundo Ochozias moritur, nullo hærede poſt ſe relicto.

177. IORAMVS, REX IX.

IORAMVS auum, patrem, fratrem reges habuit, ipſe in ſua ſtirpe poſtremus. Sacra & religionem veneratur annos octo, poſt quod tempus, regnauit non è legis præſcripto, ſed ſuo corrupto iudicio atq; animo peruerſo. Cum rege Iudæ, & Idumæorum iungit ſocietatem. Pugnans contra Moabitas, laborat ſiti: obſeſſus à Benhadada, premitur fame. Eliſæus exercitui ſuis precibus primùm aquas impetrat, poſtea victoriam. In anguſtia vrbis obſeſſæ, cùm vilitatem & liberationem idem promitteret, rex eum ſtatuit interficere: propheta domum ſicarijs clauſit, & die altero veritas dictorum eius mirabiliter patuit. Ioramus cùm & miraculorum, & beneficij diuini abiecißet memoriam, in pugna contra Azahelem Syrum ſauciatur & fugit: in tumultu, obuiàm procedens Iehu, tribuno ſuo, in agro ſternitur, & in vinetum Nabothi beſtijs lacerandus proijcitur. Regnum durauit annos duodecim.

IEHVS

178. # IEHVS, REX X.

IEHVS *inter viros robuſtos Iorami, fuit fortiſſimus: inter duces eius ſtrenuos, celerrimus. A' quodam prophetæ Eliſæi diſcipulo, in tentorio rex vngitur, cumq́; ex fuga eius qui vnxerat, aliquid ſuſpicarentur inſoliti accidiſſe, cæteri militum præfecti: ipſe, quod factum erat, non diſſimulat, & ſtatim ſingulorum conſenſu rex declaratur. Vſus eſt Eliſæi conſilio, & Eliæ vaticinia non ignorauit, eaq́; viribus ſummis exequi audet. Reges enim Iſraëlis & Iudæ, Ioramum & Ochoziam de vita tollit, & Iezabelem reginam de feneſtra præcipitat. De regia ſtirpe homines centum & duodecim iugulari præcipit: filios videlicet Achabi regis ſeptuaginta, & fratres regis Ochoziæ duos & quadraginta: quibus addit Achabi conſiliariorum & ſacerdotum impiorum magnum numerum. Conuentu Samariam indicto, & adducto ſecum Ionadabo Rechabita, Baalis ſacerdotes inſidijs in vnum collectos, interficit vniuerſos, & è templo eius cloacam publicam facit: vitulos tamen aureos non aufert. Poſteritas eius durauit ad quartam vſq; ſobolem, ipſe regnum tenuit annos octo & viginti.*

IOACHAS,

179. IOACHAS, REX XI.

IOACHAS *Iehi filius, regum ante ſe omnium infeliciſſimus. nam armis Syriacis Azabelis & Benhadadæ ita attritus eſt, vt paucas ad corporis cuſtodiam turmas equitum haberet: & ex omni flore iuuentutis, ac populo potentiſſimo, vltra decem peditum millia non poſſet armare amplius. Itaque deplorans miſeriam & inopiam ſuam, in ſeruitute acerba, auxilium à Deo flagitat, ne cum reliquijs exiguis funditus extirparetur. Eius preces Deus audiens, vltorem Syriorum, fortem ipſi dedit filium. Vixit in regno annos ſeptendecim.*

180. IOAS, REX XII.

IOAS *Iehi nepos, aui ſui vtitur ſucceſſibus. Regem Iudæ Amaſiam, temere ſe prouocantem capit, & nobilitatem præcipuam vinctam ducit. Vrbem ſacram ſpoliat, muri partem demolitur, nobiles templi theſauros aſportat. Eliſæum ægrotantem cùm inuiſeret, certus ſignis inſtituitur, quas eſſet habiturus victorias. Latrones Moabitarum reprimit, Azabelem antehac inuictum ſuperat, Benhadadam eiusq; filium prælijs tribus*

tribus frangit: oppida & vrbes vi ademptas, armis recuperat, ideo Seruator populi cognominatus. Regnauit cum dignitate & finitimorum terrore, annos ſedecim.

181. AZAHEL, SYRVS.

AZAHEL *Benhadadæ I. præfectus, in regem Syriæ vngitur ab Elia, confirmatur ab Eliſæo. Regi ſuo fomentum frigidum in morbo ardente imponens, vitam adimit. Ipſe rex factus, populum Dei ſtatim aggreditur, & vno tempore tres Iſraëlis tribus ſibi ſubijcit, & reliquas deinceps adigit ad ſummam egeſtatem: vrbes cremat, nobilitatem interimit, prægnantes ſecat, infantes elidit. Ioramum regem Iſraëlis in prælio vulnerat, Ioam regem Iudæ oppugnat, qui vrbis libertatem ingenti redimit pecunia, vt eum ab obſidione auerteret. Cùm aliquando coram e Eliſæus effuſè fleret, interrogatus, cur id faceret, Quia (inquit) te maximam peſtem & perniciem populi noſtri video futurum. Vixit ad ætatem vſq; decrepitam, & eius potentia demum à Ioa rège Iſraëlis eſt diminuta.*

182. BENHADADAS II. SYRVS.

BENHADADAS *II. regis Azabelis filius, non minore odio, quàm pater, ſed minore ſucceſſu contra Iſraëlitas pugnauit. Patre ſuo ſeneſcente, de eius voluntate & conſilio bella continuat, omni crudelitatis paternæ exemplo: quo defuncto, Benhadadas tribus prælijs à rege Ioa profligatur, neq; ſolum ereptas Iſraëlis ciuitates non retinet, verùm etiam proprias aliquot amittit.*

183. IEROBOAMVS II. REX XIII.

IEROBOAMVS *Ioæ filius, animo et felicitate patre nihil inferior, regiam Syriorum vrbem Damaſcum capit, eiectisq; è præſidijs hoſtibus, veteris Iſraëlis fines ac terminos reſtituit, multisq; modis crudelitatem & ſuperbiam Syriorum vlciſcitur. Aures prebens hypocritis, Deum ex animo ſecutus non eſt. Regnum gubernauit proſpere annum vnum & quadraginta ſolus, cum patre tres. Initio regni ipſius terræmotu Iudæa concuſſa eſt.*

184. AMASIAS HYPOCRITA.

AMASIAS *hypocrita, prophetam Amoëm, tanquam hominem ſeditioſum & abomi-*

abominabilem, coram Ieroboamo accuſat, & ipſi regio permiſſu interdicit miniſterio, & in regnum Iudæ proficiſci iubet, vbi habeat docendi, quæ ipſi placeant, licentiam. Amos nihil territus importunitate & ferocia hominis, ſuum munus acriter defendit, quòd à Deo acceperit armentarius, deponere non poſſit, Deo iam obligatus. Locum nequaquam mutat, ſed ſuo aduerſario reſiſtit, eiq; vaticinatur, quòd & vxor eius ſit proiectura pudiciciam, & liberi ferro perituri, & ipſe moriturus ſit inter hoſtes in exilio.

185. AMOS PROPHETA.

AMOS *Thecuites, propheta factus è bubulco, vt humo agreſtis & indoctus contemnitur. Reges peruerſos, & ſacerdotes hypocritas, liberrimè obiurgans, ab Amaſia, quòd in regno alieno doceret, reprahenſus eſt. Cùm nihilominus Dei mandatum exequeretur, & vincula regibus atq; populo prædiceret, conuicijs exagitatus, & plagis affectus eſt. Syriæ regibus Azabeli, & eius filio, interitum denunciat, & de regno Chriſti ad gentes transferendo concionatur. Eius teſtimonijs vtitur in concilio ad ſacerdotes, Stephanus: in altero concilio ad apoſtolos Iacobus.*

186. IONAS PROPHETA.

IONAS *Gathites, Amathi filius, ſui populi, & gentium doctor. Ieroboamo regi animum addit contra Syrios, quorum ipſum dicebat futurum victorem. Ire iuſſus à Deo in Aſſyriam, Tharſum metu profugit: in quo itinere ſceleris ſui, ſorte conuictus, à nautis in mare proijcitur, & à leone marino deuoratur: in cuius ventre cum gemitu atque cruciatu latens atq; exuſtus, poſt tres dies, & totidem noctes rurſus euomitur, imago Chriſti ſepulti & reſurgentis, ipſo Chriſto apud Euangeliſtas interprete. Ingreſſus Ninon, vrbem Aſſyriæ imperialem, clamat eam perituram intra dies quadraginta. Rex delicatus auditis Prophetæ minis, cilicio induitur, & tam hominibus quàm iumentis indicit ieiunia, & credi ſermoni prophetæ, diuinitus miſſo, per edictum imperat. Ciuitas vniuerſa territa veniam à Deo irato delictorum conſequitur & ſeruatur. Indignante Iona, quòd vates fuiſſet falſus, à Deo cauſam audit miſerationis immenſæ.*

187. ZACHARIAS, REX XIIII.

ZACHARIAS *Ieroboami filius propter actam ſceleratè vitam, & gloria paterna, & regni poſſeſſione, & hac luce vitali ſpoliatur, nam ſexto menſe, quo ſolio aucto ſedere indignus cœperat, á ſeditioſo quodam Sallumo obtruncatur, coram multitudine. In hoc rege, abnepote regis Iehi, maiorum dignitas concidit, quod Deus minatus fuerat. Cauſæ interitus familiarum ſunt præcipuæ, idololatria & ſuperbia, propter quæ vicia teterrima, & Dei & hominum odia in nos ſæuiunt.*

188. SALLVMVS REX XV.

SALLVMVS *filius Iabes, crudelis ſicarius & parricida, regnum cæde partum, cæde amittit. nam tyrannis eius vno tantùm menſe durat. Manahemus enim audita regis Zachariæ oppreſſione, & tyranni Sallumi petulantia, Samariam armatus inuadit, & interfectores regis fortiter adoritur, & omnem factionem aduerſariam extinguit: exemplo ante oculos poſito, quòd ij, qui magiſtratum euertunt, á Deo ipſo rurſus euertantur.*

189. MANAHEMVS, REX XVI.

MANAHEMVS *Gaddi filius, patria Therſanus, Sallumum tyrannum occidit, & regnum ſibi vendicat. Thapſenſes, qui portas ei clauſerant, internecione delet: quorum etiam vxores prægnantes, inaudita prius inter illos reges feritate, diſſecuit. Populum tributis & exactione grauat, vt à rege Aſſyriorum Phulbelocho, qui patriam eius obſederat, pacem redimeret. Annos decem, quibus floruit, auarè & immaniter tranſegit.*

190. PECAIA XVII.

PECAIA *Manahemi filius, triſti ingenio, & moribus efferatis, à patre non degenerans, regnauit petulanter. Vnus igitur ex eius optimatibus, Peca nomine, qui à rege tertius cenſebatur, arcem cum coniuratis duobus ingreſſus, & locum munitiſſimum adiens, & ſine ſuſpicione admiſſus, regem in ſuo conclaui enſe traijcit, qui annis tantùm duobus ſceptrum geſſit, eo indigniſſimus.*

191. PECA, REX XVIII.

PECA *filius Romeliæ, regis ſui parricida, cum audacia coniunctos ſucceſſus habuit.*

Iotham

Iothamo rege Iudæ bellum infert, Acham eius filium expugnat, centumq́; & viginti hominum millia delet, & omnem ſexum muliebrem captiuum abducit. Cum Raſi rege Syriorum colit amiciciam, ſed à rege Aſſyriorum Tiglatphilaſſare vincitur, qui totam Galilæam in poteſtatem redigit, & tribum Neptalim in Aſſyriam traducit. Peca qui regnum cæde pepercrat, eadem iniuria eo excidit. nam ab Hoſea comprehenſus per inſidias, de vita tollitur. Regnauit annos viginti.

192. OBED PROPHETA.

OBED *propheta clade Iudæorum intellecta, exercitui Pecæ triumphantis, obuiàm progreditur, ſuadetq́; vt matronas imbelles, & ætatis teneræ multitudinem incolumem dimittat, ne iram Dei cumulet: cuius minis territus rex, orationi & monitis obſequitur. Vinctos igitur liberat, nudos de ſpolijs veſtit, ægros cibo vnguentisq́; reficit, euntibus comitatum & viaticum addit, laſſos iumentis deportat, & ſingulis ad ſuos redeundi facit poteſtatem.*

193. HOSEAS, REX XIX.

HOSEAS *filius Helæ, regis parricida, potentiam violenter comparat, & violenter amittit. Regi Aſſyriorum Salmanaſſari factus tributarius, Aegyptium ſollicitat, & eius auxilio de rebellione cogitat. Proditis illus conſilijs, ab Aſſyriò capitur, & in vincula detruditur. Vrbs Samaria annis tribus obſeſſa expugnatur. Rege vincto, poſt annos nouem, & deleta gentis metropoli, populus Iſraëliticus in Medorum colonias, miſerabili & perpetua ſeruitute, diſpergitur: quarum ærumnarum cauſa fuit Dei, omnipotentis & legis eius contemptio. Durauit regnum in Iſraële, à Ieroboamo vſq; ad Hoſeam annos ducentos quadraginta vnum, menſes ſeptem, dies totidem. Excidium propheta Nahumus prædixerat annos centum & quindecim antè, quàm accidit, relicto longiſſimo ad pœnitentiam ſpacio. Prædixerat idem Iſaias, qui illam ipſam ſociæ gentis euerſionem ſenex oculis ſuis vidit.*

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER SEXTVS.

Regni Iudaici, ſeu Ieroſolimitani.

194. REHABEAMVS, REX I.

REHABEAMVS *Solomonis filius, puerili animo atq; conſilio, cum ſtultis adoleſcentibus de regno conſtituendo temere deliberans,populum alienat leuitate, & ſuperbia.ideo tribus ab eo decem ad Ieroboamum deficiunt: ipſe tribus duas Iudæ, & Beniaminus tantùm retinet. In conuentu Sichemenſi,quæſtor eius Adoramus lapidibus proſternitur: ipſe populi irati furorem vix declinat. Cum Ieroboamo inimicicias tota vita aluit, ſed viri prudentiores non ſunt paſſi,vt cum eo armis concurreret. Arcem extruit Sichemæ, vrbes multas vallo & foſſa cingit.Sacerdotibus, & exulibus pijs hoſpitium præbuit exiguo tempore. nam intra triennium*

totus mutatus, nec ipſe cultum Dei ſincerum curauit, nec aliјs conſeruauit priſtinū beneficium. A' Seſaco igitur rege Aegyptiorum, regni ſui anno quinto affligitur. vrbs Ieroſolyma direpta, & regia eius atq; ærarium ſpoliatum, & ſcuta atq; haſtilia aurea ſunt tranſportata. Vitam finit anno ætatis quinquageſimo octauo, regni ſui decimo ſeptimo.

195. SEMEIAS PROPHETA.

SEMEIAS *propheta exercitum Rehabeami contra regem Iſraëlis paratum ſua auctoritate reuocat, & arma regi animoſo excutit. Idem poſt vaſtatam ab Aegyptijs prouinciam, & captam vrbem ſacram, regem & principes conſolatur, & ferre ſeruitutem mente æqua iubet: quòd pœnitentia, & tolerantia habituri ſint breui, Deum clementem & propicium.*

196. ABIA REX II.

ABIA *Rehabeami filius, patre quidem ſapientior & fortior, ſed non minus temerarius atq; impius. Bellum Ieroboamo cupidè indicit, qui eum duplo maiore exercitu ita interclu*

ſit, vt

ſit, vt locus eua[illegible]*endi non eſſet. Abia preſſus calamitate, & in*[illegible]*nguſtias extremas compulſus, ſalutem à Deo expet*[illegible] *idemq; facere militem ſuum iubet. tantus igitur pauor hoſtibus iniectus eſt, vt conſpectum eorum, quos circumuallauerant, trepidarent, ſeſeq; effuſi in fugam coniicerent. Abia eos inſequens, quinquaginta millia gladio tollit, eisq; vrbes tres cum eorum viculis extorquet. Regnauit annos tres.*

197. ASA REX III.

ASA *Abiæ filius, pietate & iuſticia celebris, tranquillè populo præfuit annos decem, quo tempore idola confringit, lucos incendit, homines impuros damnat exilio, diſciplinam collapſam inſtaurat, religionis veritatē reuocat. Matri peruicaci & ſuperſtitioſæ, & nomen antiſtitæ aufert, & potentiam reginæ adimit. Cum rege Aethiopum Zara, primùm prælio congrediens, decies centena millia militum, & currus trecentos interneciõe delet. Iterū cum rege Iſraëlis Baëſa, auxilijs Benhadadæ Syri, pugnans, tribum Neptalim occupat, lapidesq; & ligna ad Ramam muniendam conuecta, tranſportat, & trium inde ciuitatū ampliat pomœria: foſſam ingentem ad arcendas regum Iſraëlis incurſiones, impenſis magnis ducit. Deum offendit ſæpius,* quòd

quòd extero regi Syriæ conſiſus eſt, & prophetam ſe debortantem non audijt, & plus ſpei in medico habuit, quàm in Deo: nam ſenex pedibus laborauit. Cum potentia annos vnum & quadraginta fuit.

198. AZARIAS PROPHETA.

PROPHETA *Azarias Obedi filius, à bello Aethiopico regi Aſæ redeunti gratulatur, eiq́; de vaſtatione, & ſolitudine Eccleſiæ ſimul vaticinatur, & omnium malorum, omnium periculorum, teſtatur eſſe cauſam, cultum idolatricum. Seueritate orationis ſuæ, regem impellit, vt idola euerteret, ſedemq́; & domicilium hoſpitibus pijs non negaret. nam de Efraimi, Manaſſis, Simeonis tribubus multi ad ipſum confugiebant. Prophetæ eiuſdem inſtinctu, Maachæ matri regis, Abſolonis filiæ, nomen Auguſtæ denegatur, quia in lucis ſacrificauerat, & idolum turpiter colebat. Regi & populo, ſuis precibus, pacem annorum triginta impetrat.*

199. HANAN PROPHETA.

PROPHE-

PRopheta *Hanan regem Aſam, quòd amiciciam cum Benhadada Syro iunxerat, grauiter obiurgat, eiq́; miracula Dei, qui Aethiopicas, & Libycas copias, coram ipſo ſtrauerat, exprobrando obijcit: prætereaſtulticiam repræhendit, quòd auxilium hominis, auxilio Dei omnipotentis antepoſuerit: ideo amiciciam illam profitetur non fore diuturnam, & ſtatim bella cruenta ſecutura affirmat. Hac accuſatione, rex alioquin minimè malus, ità excanduit, vt habenas iræ nimium laxaret, & prophetam in vincula conijceret.*

200. IOSAPHATVS, REX IIII.

IOSAPHATVS *Aſæ filius, rex iuſtiſſimus atq; optimus: niſi quòd cum regibus Iſraëlis Achabo & Ochozia, affinitatem & ſocietatem inijt: quæ & prophetis diſplicuit, & ipſi eiusq́; regno pœnè exitio fuit. nam cum Achabo prælio victus eſt, & cum Ochozia claſſem perdidit. Ad eum Arabes & Philiſtini miſerunt legatos & munera. Ipſe cum Moabitis, Ammonitis, alijsq́; gentibus finitimis, non tam pugnauit armis & milite, quàm precibus, laudibus, votis, gratiarumactione. hoſtes enim vulneribus ſeſe mutuis confecerunt, tanta præda, totq́; ſpolijs poſt ſe relictis, vt miles in colligendo, totos dies*

tres conſumeret. Prophetas per oppida miſit, qui populum docerent: iudices in vrbibus conſtituit, qui legitimè gubernarent: præfectos dedit, qui munera & facta ſingulorum inſpicerent. idem ſapientiſſimus rex, & maximus doctor, qui quod ab alijs exigeret, vita & moribus ipſe expreſſit. Obijt anno ætatis ſexageſimo, regni vigeſimo quinto.

201. AMARIAS SACERDOS.

AMARIAS *ſacerdos, conſtitutus à rege Ioſaphato pontifex, nihil prætermiſit, quod ad viri ſapientis & ſeduli, munus & dignitatem pertineret. nam de iure & legibus, de ceremonijs & placitis, & de omni re controuerſa, vnà cum Zabadia reſpondit, cùm alter rebus Eccleſiaſticis, alter negocijs ciuilibus præfectus eſſet, in quo labore atq; ſollicitudine, ſtudium & opera regis laudatiſſimi, ipſis non defuit.*

202. IEHVS PROPHETA.

IEHVS *Propheta, Hananis filius, regem Ioſaphatum, è bello Syriaco ſaucium reuertentem, animo forti increpat. ideo enim ab irato Deo*

Deo ait punitum, quòd improbo tulerit ſuppetias, & quòd hoſti Dei ſtuduerit eſſe amicus: conſeruatum autem manu cœleſti affirmat, vt porrò eſſet cautior, & vt cultus vanos ac ſpecioſos tolleret, Deoq; placentes ſumma diligentia reduceret. Rex ſermoni Prophetæ obſecutus, paret, & ſe præbet docilem, omnibus bene monentibus auditorem atq; diſcipulum. Iehus propheta regiam hiſtoriam literis mandaſſe traditur.

203. IAHAZIEL PROPHETA.

PROPHETA *Iahaziel, è proſapia Aſaphi, Zachariæ filius, leuita & muſicus, regi Ioſaphato, cùm & à finitimis, & tranſmarinis hoſtibus oppugnaretur, coram maxima hominum frequentia, in templo palàm optata denunciat. Iubet enim in hoſtes pugnare ſine formidine, & viam oſtendit ad victoriam, nempe fiduciam in Deum: qui tot hoſtes, non ad oppreſſionem populi ſui, ſed ad mutuam inter ipſos perniciem, in vnum coëgerit. Prophetæ ſermonem & vaticinium, euentus inſignis comprobauit.*

204. ELIEZER PROPHETA.

ELI-

ELiezer *propheta, Dodani filius, Ioſaphatum obiurgat, quòd affinitati regum Iſraëlis, plus tribuat & deferat honoris, quàm Dei verbo et virtuti. Coniunctionem cum Ochozia, fuiſſe pernicioſam, quòd ideo claſſem amiſerit: eandem eſſe adhuc indecoram, quòd deteſtari idololatram debuerit. Quamobrem ſi florens eſſe cupiat, & Deo acceptus eſſe velit, neceſſitudinem & fœdus, cum rege impio, primo quoq; tempore reſcindendum ſuadet.*

205. IORAMVS, REX V.

IORAMVS *Ioſaphati filius primogenitus, de Ioramo rege Iſraëlis, auunculo ſuo nominatus: degener, impius, infelix: vxorem duxit Athaliam, regis Iſraëlis Achabi filiam, fœminam ſupra ſexum crudelem atq; furioſam. In initio regni fratres ſuos, iuuenes præſtantes, & quoſdam primates, patris ſui conſiliarios, de vita tollit, & populum ad impietatem adigit. Propter tot & tanta flagitia, Eliæ prophetæ literis acerbè obiurgatus, non ſolùm melior non fit, ſed more humani ingenij magis inſoleſcit, rex nimirum aduerſus virum humilem, & imperare ſuetus, nihil curans religionis doctorem. Idumæos rebelles fatigauit, & vicit inſidijs: ſed à Philiſtinis, & Arabibus domatur, amiſſis caſtris, ſpoliata regia,*

gia,

gia, vxoribus abductis, deleta ſtirpe ſua. Laborauit alui profluuio per biennium, donec inteſtina deſfluerent, & tabe conficeretur. Tyrannidem exercuit annos octo, obijt ætatis quadrageſimo, in regijs patrum monumentis non eſt ſepultus: odium Dei atq; hominum.

206. OCHOZIAS, REX VI.

OCHOZIAS *natu minimus Iorami filius, ſolus ſuperſtes è fratribus, qui ab Arabibus occiſi erant: huic cauſa exitij & interitus fuerunt, mater ſcelerata, & conſiliarij perfidi. Iorami regis Iſraëlis factus ſocius, ab Azahele Syro prælio vincitur: eundem Ioramum è vulneribus ægrotantem, cùm viſeret, in Iehum Namſi filium incidunt, duo & quadraginta adoleſcentes, fratrum eius filij, qui omnes cædi iubentur: ipſe quoq; è fuga & latibulo Samariæ extractus, miſere iugulatur. In ſolio deſpectus & vexatus ſedit annum vnum.*

207. ATHALIA, REGINA VII.

ATHALIA *mater Ochoziæ, furiæ quàm homini, beſtiæ quàm reginæ ſimilior, filio*

defuncto arripit tyrannidem. Templum Dei demolitur, Baalis erigit atq; ditat: omnium piorum atrox aduerſaria. Regiam ſtirpem Dauidis, parricidio extinguit, vno infante Ioa excepto, quem amita ipſius, intra templi parietes, vna cum nutrice cælauerat. Hæc quaſi mater Antichriſti ſemen benedictum perdere & extirpare voluit. Ioas qui cum liberis regijs, & ipſe è regia ſtirpe educatus & ſeruatus fuerat, cùm à Ioiada ſacerdote primis pueritiæ annis, in dignitatem patriam reſtitueretur, Athalia impedire id cupiens, in templum aduolat, & electioni eius contradicit: mox è templo extrahitur atq; obtruncatur. Factum id eſt, anno tyrannidis ipſius ſeptimo.

208. IOAS, REX VIII.

IOAS *Ochoziæ non ſtirpe, ſed ſucceſſione filius, à cæde liberatur, prudentia amitæ ſuæ Ioſabethæ, & in adito templi, clam educatur annis ſex. Anno ætatis ſeptimo, à ſacerdote Ioiada, oleo conſecratur, & diadema accipit, magna ſpe indolis ſapientis & religioſæ. Templi parietinas inſtaurat, vaſa fieri noua mandat, fana lucosq; Baalis deſtruit, omnia regis ſancti officia facit. Ioiada defuncto, ſui fit diſſimilimus, magiſtro morum & exemplorum ex oculis ſublato: nam*

eius

eius filium Zachariam, ſacerdotem excellentem, lapidibus obrui ſinit: oblitus omnium beneficiorum, quæ acceperat: nec vlla poſt id facinus eſt felicitate domi aut foris vſus. Altero poſt Zachariæ cædem anno, Syriæ rex in Iudæam venit, vrbem ſacram capit, infinitam hominum multitudinem cædit, aulicos regis omnes interimit, regem excruciatum, languentem relinquit. Miniſtri regij cauſa calamitatis in dominum tranſlata, in ſua illum arce opprimunt. Regnauit annos quadraginta, in maiorum ſepulchris tumulatus non eſt: innocens prima ætate vixit, poſt omnem gloriam adulatorum mendacijs effudit.

209. IOIADAS SACERDOS.

IOIADAS ſacerdos, propter merita in regem & populum dictus Barachias: regis Iorami gener, ſocru ſua Athalia, in ſtirpem Dauidis regiam deſæuiente, Ioam è manibus eius cruentis, clam eripit, iniensq; cum nobilibus centurionibus amiciciam, puerum ſeruatum populo producit, & eum vnctum, publicè regem proclamat. Athaliam nouitate perculſam, & in templum irruentem, eijci iubet, quæ pauida & minabunda fugiens, in foribus regiæ trucidatur. Templum, aram, ſtatuam Baalis confringit, Mat-

thanem ſummum ſacerdotem ad baſim ſtatuæ mactat. Ioiadas dum regi à ſacris, & à conſilijs fuit, omnia gubernat, & in templo legitimè, & in rebus ciuilibus prudenter: vxorem etiam de bona ſtirpe regi eligit. Eo viuente, & Eccleſia & Reſpublica floruit, ſed cùm è viuis exceſſiſſet, aulicorum Ioæ indulgentia & obſequium effecit, vt rex adoleſcens corruptus, & idololatra & tyrannus fieret. Obijt Ioiadas, anno ætatis trigeſimo & centeſimo, in ſepulchris regijs propter merita eximia ſepultus, conſenſu publico.

210. ZACHARIAS SACERDOS MARTYR.

ZACHARIAS *ſacerdos, Ioiadæ filius, integritatis & libertatis paternæ imitator, aulicos Ioæ ſuperſticioſos & effrenes, & regis imperiti animum, ad inſaniam ſimilem trahentes, magna auctoritate increpuit, ſigna & ſtatuas è templo Dei exturbandas quotidie contendit. Id ipſi tulerunt indigniſſimè, cumq; ſacerdotis imperium, non putarent tolerandum, in veſtibulo templi, rege conniuente, lapidibus ipſum obruunt, & inhumatum relinquunt. vindictam diuinam, & regi & aulicis, in ipſa morte denunciat, nec fefellit vaticinium. nam ſpacio anni nondum*

nondum exacto, violenta & mala morte perierunt vniuerſi. Hunc ad Matthæum cum Abele Chriſtus iungit, primus enim martyr, de quo ſacræ veteres loquuntur literæ, Abel eſt: & de quo eædem teſtantur expreſſè, poſtremus eſt Zacharias. Alij poſt ipſum licet occiſi multi, tamen nullius facta mentio, niſi Vriæ, ſed quaſi in tranſitu, de quo mox dicetur.

211. AMASIAS, REX IX.

AMASIAS *Ioæ filius, patris necem ſine crudelitate vindicat: homicidas enim perimit, liberis eorum innocentibus parcit. Fœderi, quod cum Iſraëlitis pepigerat, prophetæ ſuaſu renunciat: quamuis non ſine magno diſpendio ſuo. nam & ſtipendia numerata perdidit, & ciuitates Iudæ vaſtari conſpexit. contra Idumæos pugnans cum fiducia, decem eorum millia euertit, totidem millia de ſaxo præcipitat. Elatus tanta victoria, regem Iſraëlis Ioam temeritate maxima prouocat, & cum eo congreſſus, vincitur atq; capitur. Poſt prælium mœnia vrbis potentiſſimæ deſtruuntur, & templum ampliſſimum diripitur, & libertas totius populi periclitatur. Non deſtitit deos Idumæorum Amaſias colere: vndè facta in eum coniuratione, in vrbe Lachi compræ-*

compræhenſus necatur, anno ætatis quarto & quinquageſimo, regni ſui nono & vigeſimo.

212. PROPHETA IGNOTVS.

PROPHETA *non nominatus ad regem Amaſiam bis mittitur primùm repræhendens eius factum, quòd Iſraëlitas ſtipendijs euocaſſet, qui obfuturi eſſent ipſius laudi et victoriæ, eò quòd Deum iratum haberent: deinde arguens eiuſdem impietatem, quòd deos Idumæorum, qui ſuos non potuiſſent ſeruare homines, veneratione coleret. Admonitionem priorem animo ſatis æquo accipiens, pecuniam contemnit, & hoſtium ſuorum victor euadit: propter alteram ita iraſcitur, vt Prophetæ à ſe repulſo mortem minitaretur: cuius excandeſcentiæ pœnas, non longa pòſt tempore, ſua ipſe morte expendit.*

213. OZIAS, REX X.

OZIAS *rex, qui & àlio nomine Azarias, Amaſiæ filius, bonus paterfamilias, fortiſſimus vir, prudens gubernator. Cultu diligente agrorum regios reditus auxit, parſimonia ærarium amplificauit, vrbes partim muniuit,*

partim

partim ornauit ædificijs, præfecturas militares diſtribuit, & arma varij generis confecit. Arabes, Ammonitas, Philiſtinos domat, & Aegyptios intra ſuos fines continet. In tanta felicitate, eò progreditur amentiæ, vt à ſuo officio diſcederet, alienum ſibi arrogaret. nam veſtimentis & infulis ornatus, templum adit, munus ſacerdotis executurus. Quamobrem cùm incenſum adoleret, inuitis & conquerentibus ſacerdotibus, leproſus in ipſo templo fit, nec totius vitæ tempore à lue vrente & deformi curari potuit. Eius dominatu motus ingens terram concutit, cuius propheta Zacharias meminit. Regnauit annos duos & quinquaginta, & animi mœrore obijt, ætatis anno octauo & ſexageſimo.

214. AZARIAS SACERDOS.

AZARIAS *ſacerdos maximi animi, & legis antiquæ defenſor acris, regem Oziam adolere incenſum prohibet, & egredi è loco ſacro iubet: cui aſſenſi ſunt octoginta alij ſacerdotes. Rex opinione praua, & contumacia ſacrilega, neq; Azariæ comminationes, neq; aliorum ſacerdotum monita curat: ſed quod inſtituerat, agere pertendens, ſupplicia & mortem minitatur obſtantibus. Dum manu ſuffimentum adhuc teneret, lepra frontem & faciem eius, turpem in*

modum occupat, quiq; omnia repleuerat minis & conuicijs, exire cum dedecore & pudore è templo compellitur.

215. IOTHAMVS, REX XI.

IOTHAMVS *Oziæ filius, patre ſuo propter morbum tetrum, à multitudine ſegregato, regni habenas tenuit, non ſine laude pietatis & magnificentiæ. templum enim Dei ſplendidius reddit, & vrbes multas vallo ac foſſis cingit: Regem Ammoniticum vincit, factumq; tributarium certum pondus argenti frumentiq; numerum cogit pendere. Regnum poſſidet annos ſedecim, cuius dominatu Iudæam hinc Peca Iſraëlis, inde Raſis Syriæ rex infeſtare cœperunt.*

216. ACHAS, REX XII.

ACHAS *Iothami filius, omnium religionum & cultuum externorum inſipiens imitator. More Moabitico, filium igne cremat: ritu Syriaco, aram maximam facit: exemplo Philiſtinorum, ſtatuas Baäli erigit: homo peſſimus & infeliciſſimus. Eius prouinciam depopulatur rex Syriæ, & de capto ipſo Damaſci triumphum agit:*

agit: militum eius centum & viginti millia rex Iſraëlis trucidat, & mulierum ac puellarum millia ducenta capta abducit. Vexatur ab Idumæis & Philiſtinis. Vocans in auxilium Aſſyriorum regem, & ſibi & Syrijs malum accerſit. Filium eius Maaſiam, & duos aulicos potentiſſimos Zechrius quidam interficit. Tot malis domeſticis & externis quaſi obrutus, non emendatur tamen, ſed peccata addit grauiora: deos alienos accerſit, & idola in vrbe ſacra ſtatuit, templum Dei claudit, aram eius euertit, & regi Aſſyrio gratulatus, ſimilem Damaſcenæ conſtruit. Horologiũ miro artificio ſtatuit. omnis impietatis contumax auctor, cuiuſuis nouitatis ſtultus executor: hoc vno felix, quòd Ezechiam reliquit filium. In regno fuit annos ſedecim: in vita ſex & triginta, & honore & luce iſta indignus.

217. VRIAS HYPOCRITA.

VRIAS *ſacerdos hypocrita, regis Achæ impijs furoribus, non modò non reſiſtit, ſed omnia eius iuſſa execranda, ſcelerate comprobat atq; audacter adiuuat. Aram Domini deijcit, & locum templi ſacratiſſimum profanat, erecta ibi Baälis effigie, & ara peregrina extructa. Tandem etiam templum Dei claudit, & Baälis aperit: Dei mandatum nihil penſi habens, re-*

gis perfidi omnes nutus obſeruat, maiore ſpe in homine ſacrilego, quam in Deo præpotente collocata.

218. EZECHIAS, REX XIII.

EZECHIAS *patris peſſimi, filius præſtantiſſimus, Dei amans, & rectæ religionis inſtaurator, fana montana ſuſtulit, lucos incendit, idola fregit, ſerpentem æneum diminuit, omnes ſuperſticiones deleuit, libros Solomonis philoſophicos è curioſorum manibus eripuit. Contrà verò templum Dei aperuit, expiauit, inſtaurauit, dies feſtos & ſacra antiqua reſtituit, & ad veram cognitionem ac pietatem ex alijs tribubus multos inſtigauit. A iugo Aſſyrij ſe vendicauit, & Philiſtinos repulit. Regni Samaritani vidit vltimum & miſerabile excidium, quam ob cauſam lacrimas non tenet, & pœna aliorum territus, animos ſuorum populorum ad Deum verè colendum concitat, & exemplo ſuo, et hortatibus piorum: diem feſtum in populo Dei ſolennem, quem Paſcha nominant, celebrauit infinita hominum frequentia, dimiſſis per loco omnia nuncijs qui populum conuocarent. Regem Aſſyrium Sennacheribim muneribus leniuit, eius præfectum Rabſacem proſtrauit precibus: ita vt vna nocte centum octoginta quinq; millia hoſtium ab vno Angelo*

Angelo cæduntur. Conſilio Eſaiæ prophetæ, bono & fideli vtitur, & de eius auctóritate multa ſalutariter agit. In morbum incidens, vitæ annorum quindecim impetrat acceſſionem, & miraculo cœleſti, ſole ipſo retrogrado, confirmatur. Theſauros ſuos legatis Babylonijs oſtendens, Deum vehementer offendit: reprehenſus acriter à Propheta, Dei voluntati ſeſe ſubijcit. Regnauit annos viginti nouem, obijt ætatis quarto et quinquageſimo: vnus è regibus ſanctis, quorum pauciſſimi omnibus temporibus numerantur.

219. SALMANASSAR ASSYRIVS.

SALMANASSAR *Aſſyriorum Imperator potens, quem regnum Samariæ peſſundaturum, propheta Hoſeas vaticinabatur. Imperij ſui anno quinto, Ezechiæ regis Iudæ anno ſexto, Samariam capit, Hoſeam regem abducit, populum in colonias exteras diſtribuit, gentes Perſicas in Iudæam mittit. Cùm Samariæ regionem leones vaſtarent, & colonos ipſos laniarent, eis ſacerdotem Iſraëliticum præficit, qui populum rectè inſtrueret, et ritè expiaret. Igitur religio Iudaica iã antea ſuperſtitione corrupta, cũ gentili præterea cõmiſcetur, & in Samariæ vrbibus tot ſunt conſtituti dij, quot in eas migrauerant populi externi. Inde factum eſt, vt Samaritani peſſimè*

apud

apud Iudæos audiuerint, & conuicium in hiſtoria Euangelica eſt, Samaritanum appellari. Imperauit Salmanaſſar annos decem.

220. SANHERIBIS ASSYRIVS.

SANHERIBIS *Imperator, filius Salmanaſſarus, vrbes turritas Lachin & Libnam obſidet, & ad expugnandam Ieroſolymam omnes vires intendit. Ezechias rex, magnum auri argentiq; pondus numerans, fruſtra eum conciliare ſtuduit. Mittens ad eum tribunos tres, deditionem poſtulat: inter quos Rabſaces omnium inſolentiſſimus. Impeditus tum temporis à Tarracha rege Aethiopum, poſt triennium reuertitur, & ad mœnia vrbis caſtra metatur, ad quam vna nocte exercitus eius maximus ab vno Angelo extinguitur: in qua clade Rabſaces audax ille conuiciator, ſimul perit. Imperator cum dedecore Ninum, vrbem imperialem rediens, ad reparandum numinum fauorem, ſuperſticione crudeli duos paruos filios immolat, ideoq; à duobus natu maioribus Adramelecho & Sareſſare inter ſacra immaniſſima, ferro transfoditur: anno regni Ezechiæ quarto decimo, ſui imperij ſeptimo.*

TOBIAS

221. TOBIAS PATER.

TOBIAS *Tobuelis filius pupillus, ab auia Debora educatur. Ductus in Aſſyriam, à Salmanaſſare opes & præfecturam accipit, à Sanheribe fortunis rurſus exuitur, quas ei Sarchedon reſtituit. Iactatus varijs periculis, timorem Dei non abijcit, & ſuis popularibus, quantum poteſt, benefacit, & de epulis ſurgens interfectos Iudæos terræ mandat. Inopia & egeſtate tandem preſſus, & priuatus oculorum beneficio, ad debitum exigendum, filium ablegat in Mediam: quo reuerſo, lætitia & gratulatione exultat, & viſum poſt annos quatuor mirabiliter recipit: eſtq; in tota Nino miraculum cognitum, & laudata Dei bonitas & omnipotentia. Angelus Dei qui filium erat in itinere comitatus, & patri medicinam parauerat, ſeſe aperit, & opera Dei mirabilia prædicanda ſuadet. Viuens poſt hæc ſenex optimus tranquillè, vrbis Nini interitum prædicit, filium poſt mortem ſuam, in Mediam redire iubet, datisq; ei mandatis, vt cõſtanter Deo fideret, neq; exilij diuturni moram, neq; penuriæ moleſtiam formidaret, admonet. Moritur anno ætatis centeſimo & quinquageſimo: fidelis, patientis, grati hominis exemplum. Onera maxima ſolitudinem, exilium, cæcitatẽ, paupertatem, animo æquo tulit, ad quæ acceſſerat*

rat

rat vxoris moroſitas. De clementia Dei ſperauit optimè: eam expertus, Deum laudauit magnificè.

222. TOBIAS FILIVS.

TOBIAS, *Tobiæ & Annæ filius, à patre egeno, ad repetendum mutuum mittitur in Mediam, & Gabaëlem, Gabriæ filium. Conducturus comitem, ſeſe Angelus ei offert hominis ſpecie: qui ipſum à periculis ſeruat, vxorem ei honeſtam conciliat, hoſtem connubij dæmonem nequiſſimum fugat, pecuniam è Media aſportat, ſaluum & ditatum reducit, ſenis patris albuginem curat, totam gentē captiuam gaudio replet. Tobias celebrat nuptias Ecbatanis dies quatuor decim, præſente Gabaële propinquo: Nini, dies ſeptem, præſentibus Anabele patruo, Achiacharo & Naſba patruelibus. Bonorum ſoceri ſui ſemiſſem ſtatim accipit. Monita patris perpetuò obſeruat; & iuſſa cultu debito capeſſit: quo defuncto in Mediam remigrat, & de Nini excidio & vaſtitate audit. Moritur Ecbatanis, ætatis anno centeſimo vigeſimo ſeptimo.*

223. ACHIACHARVS.

ACHIA-

ACHIACHARVS *fratris Tobiæ ſenioris filius, patrueli ſuo reditum in vrbem Ninon, et reſtitutionem bonorum impetrat, egentemq; ſua beneficentia alit. In tantam dignitatem euectus eſt, vt in aula Aſſyria maximus, & à rege ſecundus haberetur: cui ab annulo, à potione, à rationibus erat, & negotia imperij ardua gubernabat. Alumnum habuit Amanem, peſſimum atq; ingratiſſimum, qui de eo interficiendo conſilia agitauit: ſed quod flagicium meditatus fuerat altori & patrono, id in ipſius caput recidit, eo enim laqueo captus eſt, quem innocenti ſcelerate tetenderat.*

224. RAGVEL.

RAGVEL *Tobiæ conſobrinus, Ecbatanis habitauit, vrbe Medorum regia. Vnicam filiam Saram alienigenis ſeptem deſpondet, qui à diabolo, ante thori genialis ingreſſum iugulati ſunt: octauo eam collocans marito Tobiæ, agnato ſuo, nihil ſentit incommodi aut periculi, Angelo Dei pronubo & defenſore. Deo igitur benefico & potenti propter fugatum ſpiritum interemptorem, gratias ingentes agit, traditaq; genero bonorum ſuorum parte dimidia, pecuniæ, iumentorum, ſeruitiorum, cum filia dulciſſima eum dimittit, lætiſq; precibus & fauſtis ominibus proſequitur.*

SARA

225. SARA.

SARA *Raguelis & Ednæ filia, virgo cordata & formoſa, ſed miſera atq; ærumnoſa. nam ſeptem eius ſponſos ante initum coniugalem thalamum, diabolus ſtrangulauit, ideo quòd puellæ pientiſſimæ amplexibus homines impij non digni fuerant. Exagitata domi ab ancilla, quæ illi tot homicida exprobraret, & perpetuam ſterilitatem imprecaretur, de vita ponenda cogitat: ſed intenta precibus Deum orat, vt ſibi aut vſum lucis propicius adimat, aut ſalutifer patientiam largiatur. Exaudita à Deo clementiſſimo, Angelum habet pronubum, & in thorum optimi adoleſcentis deducta, ſex filios parit, & cum ſuo marito, ſine controuerſia, longi temporis ætatem traducit.*

226. SARCHEDON ASSYRIVS.

SARCHEDON *ſeu (vt alij) Nachordan, tertius Sanheribis filius, patri ſæuo & infelici ſuccedit, & fratribus parricidis, metu in Armeniorum præſidia confugientibus, imperium volente populo obtinet. Erga exules Iudæos digna rege munificentia & facilitate vtitur, idq; conſilio & auctoritate Achiachari, viri excellentiſſi-*

lentiſſimi, cum quo omnia ſecreta, propter fidem & taciturnitatem, communicauit, eiq; & aulæ illuſtris, & imperij ſui magni curam atq; adminiſtrationem commendauit.

227. ASSARHADDON ASSYRIVS.

ASSARHADDON *Imperator, Sanheribis filius, aui & patris exemplo, in Samariæ ciuitates, colonos peregrinos traduxerat: hi cum cæteris Iudæis victimas in loco ſacro immolabant, nec tamen à gentili conſuetudine diſcedebant. Cùm autem templum Domini vnà cum exulibus reductis, iidem ædificare vellent, à Ioſua ſacerdote, & Serubabele duce ſunt prohibiti. ideo incenſi odio & furore gentiles illi, Iudæos ædificantes impediunt, & contra eos mandatum à Cyri regis filio impijſſimo extortum, pertinaciſſimè vrgent. In ſuprema dignitate annos vixit decem, imperatorum Aſſyriorum vltimus.*

228. MERODACHVS BABYLONIVS.

MERODACHVS *filius Baladani, regis Babylonij, Aſſyriam obtinuit. Regis Ezechiæ amicus fuit, cui etiam, quòd è morbo*

lethali conualuiſſet, per legatos gratulatur: quibus Ezechias oſtentationis gratia, regios theſauros inſpiciendos monſtrat. Regis facto propheta Iſaias impenſè dolet, & ea quæ oſtendiſſet, omnia in hoſtis poteſtatem ventura: & filios eius eunuchos in aula Babylonica victuros, ex Dei mandato denunciat. Imperauit annos quadraginta. Abnepos eius Nebucadnezar vrbem Ieroſolymam, & regnum Iudaicum euertit.

229. MANASSES, REX XIIII.

MANASSES *Ezechiæ filius, anno ætatis duodecimo, ſceptrum ſumit: ipſum Rehabeamum, auctorem corruptæ religionis, & omnes barbaros populos impietate ſuperat. Cultus diuinos mutat, gentiles inſtituit, omnia cœli ſigna adorat, prophetas interficit, eorum loco augures, aſtrologos, coniectores, fatidicos admittit, filium ſuum Molocho, quem Iouem tyrannum nominat Prudentius, immolat, & igne cremat, vicos vrbis ſacræ replet cæde & ſanguine. Captus à rege Merodacho, in triumpho Babylone ducitur, tum carceri tetro & vinculis duriſſimis annos decẽ includitur. Agens inter cataſtas & catenas ſcelerum pœnitentiam, Deo placato in regnum honorificè reſtituitur. Poſt id tempus quicquid antea praui egerat, id publicè emendat,*

templum

templum Dei reficit, & mœnia diruta inſtaurat, & ad regni defenſionem, comparat neceſſaria. Diutius regnauit, quàm regum quiſquam, annos videlicet quinquaginta quinq; : obijt ætatis anno ſeptimo & ſexageſimo, ſepultus in horto ſuo, extra regia monumenta : tota vita agitatus incertis ſententijs, & anxia formidine, & varijs ſucceſſibus.

230. ISAIAS PROPHETA.

ISAIAS *Amoſi filius, qui frater regis Amaſiæ putatur, propheta fideliſſimus, præditus ſpiritu Dauidico, & doctor planè Euangelicus : in ſua lingua copioſus & eloquens. Munus docendi ſuſcipit anno ætatis ſuæ trigeſimo, reges Acham & Ezechiam in negocijs grauiſſimis, tempore calamitoſo iuuat conſilijs & conſolatione. Caſtra Aſſyriorum precibus euertit, vitam regis precibus propagat, cuius etiam hulcus peſtilens, ficu impoſita curat. Eius temporibus Sol fit retrogradus : multis regnis mutationes, multis regibus prædicit interitum, & ſpiritu excelſo præuidet nulli credibilia. Docuit ſub quinq; regibus annos ſex & nonaginta, idq́; afflicto & pœnè depoſito totius Eccleſiæ ſtatu. Regni Samaritani euerſionem videt. Tandem à Manaſſe ſcribi-*

tur fuiſſe diſſectus ſerra lignea. Reliquit doctrinæ ſuæ monumenta, in quibus de Chriſti ortu, paſſione, obitu, reſuſcitatione, reditu in cœlos, ita perſpicuè & euidenter loquitur, tanquam non ventura ſcriberet, ſed audita aut poſita ante oculos explicaret. Chriſtum ipſum, ſuum in carne propinquum & patruelem nominat, & immenſum maieſtate Deum agnoſcit atq; prædicat.

Cap: 5.

231. NAHVMVS PROPHETA.

NAHVMVS *propheta Elchoſeus, tam Iudæis, quàm eorum aduerſarijs de euerſione loquitur. Aſſyrijs futuram calamitatem & ærumnam, alijs gentibus potentiſſimis internecionem, exemplis quibuſdam depingit: ſuo tamen populo animos addit, et ſpem facit eximiam, quòd illorum tyrannos ipſe Deus euerſurus ſit; læticiamq; pacis optatæ tali ſucceſſu aucturus, vt feſtos dies rurſus agitent, & vota ſua reddant ſine impedimento.*

232. HOSEAS PROPHETA.

HOSEAS *propheta, Beheri filius, impuros & inanes cultus populo exprobrat,*

Deiq;

Deiq; iram effundendam, torrentis inſtar, multò antè tempore nunciat. Fœdera reprehendit cum Aegyptijs, futura non ſalutis, ſed ruinæ cauſam, donec vnà cũ gente profana captiui perdantur, & Aſſyrijs tandem vniuerſi ſeruiant. Minis vbique miſcet conſolationes, & liberationem non ſolum è ſeruitute et vinculis, verumetiam à morte atq; inferis maiore cæteris applauſu promittit. Scripta huius prophetæ Paulus Apoſtolus adducit, & eius tiſtimonio Chriſtus vtitur, contra Phariſæos, ipſum arguentes, quòd cum publicanis & peccatoribus cibum ſumeret. Docuiſſe fertur annos vltra octoginta, ſub multis regibus.

233. IOHEL PROPHETA.

IOHEL *propheta Rubenites, filius Phatuelis, habet conciones præclaras de pœnitentia, & de miſericordia Dei ingente, & de miſſione Spiritus ſancti iucundum planè & dulce teſtimonium. De Chriſto quoq; ita ſentit, quòd inuocaturi nomen eius ſint futuri beati: Regno Iudæ ab Aſſyrijs vaſtitatem & cladem prænunciat. Vitæ eius curſus tranquillus eſt, & in agro Betherone patriæ ſuæ ſepelitur.*

234. HABACVCHVS PROPHETA.

HABACVCHVS *propheta, tempore miſerrimo gentem trepidantem ſolatijs erigit: cui etſi diſſipatio & ſeruitus præ foribus ſit, tamen Babylonios non fore Iudæorum dominos perpetuos, nec ſuæ crudelitatis fructum plenum capturos. Experturum enim populum leuationem non modò vinculorum, quæ diuturna futura non ſint: ſed omnium quoq; periculorum habiturum vacuitatem, per Meſſiam venturum, qui ſit fide expectandus, nec vllius mali magnitudine, aut temporis difficultate poſſe impediri, quin ſuo aduentu afferat corporibus atq; animis libertatem. Eius teſtimonium adducit Paulus pro ſtabilienda fidei iuſticia. Hic propheta, ſi in Babylonem è Chaldæa, cibum Danieli vincto deportauit, vt libri apocryphi teſtantur, ad maximam eum ſenectutem perueniſſe neceſſe eſt.*

235. AMON, REX XV.

AMON *filius Manaſſæ, quamuis patris vincula & calamitatem nouiſſet, tamen eo non modò nihilo melior, ſed propemodum deterior*

rior fuit: ideo propter tyrannidem initio regni ſublatus eſt fraude ſuorum familiarium: cuius percuſſores populus ſupplicio afficit, & reliquos factioſos necat. Regnat annis duobus, cadit anno ætatis quarto & vigeſimo, iuxta patrem conditur in horto priuato.

236. IOSIAS, REX XVI.

IOSIAS *Amonis filius, ætatis octauo anno rex creatur, cui ſimilis pietate poſt Dauidem nullus vixit: omnis ſuperſtitionis hoſtis acerrimus. Templum ab auo & patre violatum purgat, laceratum redintegrat: quadrigas ſolis in eius veſtibulo incendit: ganea lateribus adiuncta euertit, ſtatuas cremat, ſigna è ſolidis metallis frangit, haruſpices & diuinatores morte punit: ſacrificia ſanguine humano facta abolet: templum deæ Sidoniæ ſtructum olim à Solomone, complanat: aram Ieroboami Bethelenſem diruit, & oſſa ſacerdotum tam mortuorum, quàm viuentium ſuper eam cremat, & cineres diſſipat. Tribus præterea Manaſſæ, Efraimi, Simeonis vetere doctrina imbuit: libros Moſis repertos diuulgat, & in publicum refert: Paſcha celebrat tanta magnificentia, quanta à Samuelis temporibus non fuerat celebratum. Hoc vnum ſtultè egit, quòd Nechao regi Aegyptio bene mo-*

nenti, bellum intulit: cum quo Benhadadæ auxilijs pugnans infeliciter, ſagitta percutitur, & ex eo vulnere obit, omnium piorum luctu immenſo, aſſertor enim fuit moris maiorum, & ſinceræ religionis acerrimus. Cum gloria floruit rex excellens annum vnum & triginta, mortuus ætatis nono & trigeſimo. Poſtremus in regum ſepulchris conditur, neque poſt eum alius rex pius, aut laude aliqua dignus, in hoc populo vixiſſe cognoſcitur.

237. HELCHIAS SACERDOS.

HELCHIAS *ſummus ſacerdos, Salli filius, inter ruinas & parietinas templi, libros Moſaicos reperit, quos in populo Dei abolitos & amiſſos inter Iſaiæ & Ieremiæ tempora, ſimile miraculo eſt. Eos regi Ioſiæ oblatos coram omnibus ordinibus, iubetur perlegere. Mox ſecundum illas leges, tam collegia ſacerdotum, quàm mores vulgi Helchias emendat, totum regnum à ſordibus & impuritate ſuperſtitionis repurgat, Eccleſiam in dignitatem antiquam Deoq́; acceptam reſtituit. Pecuniam ad ſtructuram templi traditam, ſumma fide tractat, & nihil non agit ſacerdoti ſancto & incorrupto conueniens. Hic diuerſus eſt à patre Ieremiæ, eius nepos Saraias*

raias ſummus ſacerdos, é captiuis à rege præcipuus, Babylone interficitur.

238. ZEPHONIAS PROPHETA.

ZEPHONIAS *propheta, Chuſi filius, propter cultus exteros numinum falſorum ſacerdotibus, regibus, multitudini, quocunq; in loco, vel in ſynagoga, vel in conuenticulis, impetus illius tulerat, perpetuò minatur: neq; ſolùm Iudæis, de ira Dei vehemente, ſed vicinis quoq; concionatur gentibus: inprimis quòd rapaces & violenti opes ſuas amplificarent, cum oppreſſione aliorum. Addit tamen conſolationes, quòd Deus non planè ſuum populum ſit deſerturus, ſed eum congregaturus cum gaudio, vlturuſq; omnes eius inimicos atque aduerſarios.*

239. OLDA PROPHETRIA.

OLDA *Ieroſolymitana vxor Salli, Helchiæ mater, maiore quàm pro homine & muliere ſapientia prædita, ludum puellarem aperit, & pietatis initia temporibus corruptis tradit. Eam libro legis inuento, tanquam doctrinæ cæleſtis magiſtram, conſuli rex Ioſias im-*

perat, quæ hoc reſponſum dari iuſſit, certum eſſe, quòd Deus immiſſurus genti ſit, mala illa grandia, quæ ſint expreſſa in libro illo nominatim: ſed quia rex doluerit & fleuerit, ob ſua atq; communia delicta ideo ipſum fore indemnem, & moriturum pacificè, condendum in patrijs monumentis.

240. PASSVR HYPOCRITA.

PASSVR *Immeri filius, hypocrita & tyrannus, nam ea ferè vicia coniuncta ſunt: extitit primi inter ſacerdotes nominis, Ieremiam de bellis, diſſipatione, & exilio multa ominoſa & triſtia cotidie inculcantem: tanquam autorem ſeditionis, pugno percutit, & in carcerem templo propinquum conijcit. Eam vim ſibi immerito illatam, propheta patiens deuorat, neq; tamen adhuc vinctus deſiſtit de ira Dei concionari: primùm omni populo expectandam, deinde ſuo delatori, & familiæ eius imminentem. Tum demum ipſos ait edoctos euentis credituros, cùm cladem præſentem viderint: & Paſſurem cogniturum, vaticiniorum quæ protulerit vanitatem, & ſuperbiæ pœnam, in ſuæ mortis articulo & quaſi momento, cùm intra Babylonis mœnia ſit vitam poſiturus.*

241. SEMEIAS PSEVDOPROPHETA.

SEMEIAS *pſeudopropheta, Zephoniæ ſacerdoti ambitioſo & potēti aſſentatur, eumq́; libro inſcripto comparat Ioiadæ, viro illi conſtanti & ſancto: Ieremiam verò in inuidiam, quantum poteſt, adducit, ſcriptiſq́; & oratione ſuadet, de eo, tanquam homine turbulento, & propheta vano, ſumendum eſſe ſupplicium. Hanc contumeliam Ieremias à ſe depellens, ipſum impudentiæ & mendacij palam arguit, & cum omnibus ſuis extirpatum iri prædicit.*

242. ANAMEHEL.

ANAMEHEL *filius Sellumi, agrum Anathoticum, Ieremiæ patrueli ſuo, in obſidione Ieroſolymitana, vendendum offert. Propheta quamuis libertate, in vinculis detentus, vti non poſſet: tamen agrum comparat, officio Baruchi ſcribæ ſui: eaq́; emptione probat, fore vt Deus populum vendicet, & in patriam reducat, poſteriq́; eius agrum aliquando poſſideant. Libellum emptionis in vaſe fictili condi, & ſub terra occultari voluit, euentus vaticinij ſui certum teſtimonium.*

RECHA-

mittitur. Nechaus in vrbem ſacram aſcendens, ciues magno pondere argenti mulctat, & Ioachæ fratrem, mutato prius ipſius nomine, regem conſtituit. Ioachas menſes regnauit tres. Capitur anno ætatis tertio & vigeſimo, exul & vinctus inter barbaros moritur.

245. IOACHIMVS, REX XVIII.

IOACHIMVS *ſecundus Ioſiæ filius, antea dictus Eliachimus. Aſſyriorum Imperatori obligat fidem ſuam, ſed poſt annos tres cum rege Aegyptiorum fœdus facit: & in illa conuerſione regnorum vexatur præterea à Syris, Moabitis, Ammonitis: quæ gentes pertinaciter Iudæis ſunt aduerſatæ. Ieremias futura ei mala, antè denunciat, verùm excluſus aula, eadem vaticinia in librum refert, vt in manus regis traderetur: quem librum ſibi oblatum, cultello rex conſcindit, & in ignem conijcit, deq; ſua inſania nihil remittens, Ieremiam & Baruchum ſtatuit occidere, Vriam Ieremiæ diſcipulum, capite punit. Cùm ſpem libertatis vanam conciperet, & Aſſyrio perditus atq; amens repugnaret, vinctus Babylonem abducitur, theſauriq; templi, & gaza regis aſportatur. Daniel puer cum ſocijs ſponte migrat Babylonem, anno regis huius tertio. Regnum*

gnum eius fuit annorum vndecim, obijt ætatis ſexto & trigeſimo. In exilio moritur inglorius, & ſecundum prophetæ dictum, aſini more proijcitur.

246. VRIAS PROPHETA MARTYR.

VRIAS *propheta, Semaiæ filius, cum Ieremia conſentiens, & contra regem Ioachimum acerbè locutus, proſcribitur, & ad ſupplicium poſtulatur. Ipſe admonitus, vt tyrannum fugeret, in Aegyptum abit: inde per exploratorem, nequam & callidum hominem Elnathanem retractus, gladio feritur, & cadauer eius ſine honore in ſepulchris plebeijs conditur.*

247. NECHAVS AEGYPTIVS.

NECHAVS *rex Aegypti, Ioſiam ſibi bellum illaturum, miſſis nuncijs dehortatur, ſeq; tranſiturum per eius prouinciam ſine maleficio, quòd ire iuſſus ſit, mandato Dei, contra regem Medorum: ſed Ioſias ſuſpectam habens eius fidem, petitis acquieſcere noluit. Pugna igitur in Carchamis prope Mageddum vrbem ad Euphratem fluuium commiſſa, Ioſias occiditur: filius*

eius

eius Ioachas à populo rex electus, carceri mancipatur: alter filius Ioachimus, non tam rex, quàm quæſtor conſtituitur, ad pecunias à popularibus exigendas. Iudæa tota ſpoliatur & fit tributaria. Anno regis Ioachimi quarto, Nechaas à Nebucadnezare ſuperatur, & tota Aegyptus in Aſſyriorum poteſtatem venit.

248. AHICHAMVS.

AHICHAMVS *Saphani filius, vir amans veritatis, & Ieremiæ ſtudioſiſſimus. Cùm propheta initio regni Ioachimi, magna confidentia ordinibus vniuerſis loqueretur, incentoribus ſacerdotibus, & populo tumultuante, ad pœnam depoſcitur. Ahichamus eius conſpirationis indigniſſimæ non inſcius, principibus & nobilitati rem enarrat, qui Ieremiam forti grauitate & ſapientia excuſant, quòd videlicet ideo plectendus morte non ſit, quia vera conſtanter dixerit. id enim multorum ſeculorum exemplo pijs hominibus olim licitum fuiſſe atq; conceſſum. Hac procerum rectitudine, & fide Ahichami, propheta euadit è populi furioſi & ſacerdotum rabidorum cruentis manibus.*

249. ANANIAS PSEVDOPROPHETA.

ANANIAS

ANANIAS *Azuri filius Gabaonita, Ieremiæ æmulus.* *Hic cum iugum ligneum geſtaret, quod eſſet futuræ ſeruitutis indicium, Ananias id de collo eius dereptum, frangit: eodem inquiens, modo iugum regis Babylonici fractum iri, & Ieconiam intra duorum annorũ ſpacium fore ab omni poteſtate extera liberum, & ſecurum. Obiurgatus propter vaniſſimam leuitatem à Ieremia, nullam admonitionem admittit: ideo ipſum non diu fore ſuperſtitem, & morte ſubitanea periturum, propheta ait, nec fefellit. nam eo ipſo anno Ananias moritur: alijs, vt ſibi viſus, prudens, ſed ipſe ſibi vates inutilis & malus.*

250. IECONIAS, REX XIX.

IECONIAS *Ioachimi filius, à patre Ioachimus dictus, regnum ab Aſſyrio, puericiæ ſuæ anno octauo accipit: eius ætate contempta populus fatuus contra Aſſyrium res nouas molitur. Eam ob cauſam & rex puer, & mater vidua, & regni optimates, & ex vrbibus artifices, & quicunq; aliqua re eminerent, Babylonem tranſportantur. Ante id tempus regnante eius patre, in exilium voluntarium iuerant decem & octo millia hominum pollicitante Ieremia, quòd poſt annos ſeptuaginta, Deus eſſet ipſos reducturus in*

rus in patriam. Regnauit Ieconias domi menſes tres, dies decem: in exilio vixit annos ſeptem & triginta: anno ætatis quinto & quadrageſimo, honorificè liberatus, inter familiares atq; amicos regis Merodachi numeratur, & Babylone thronus ei regius iuxta ſedem Imperatoris conſtituitur.

251. SARAIAS.

SARAIAS *filius Neriæ, Ieremiæ familiaris cum rege Zedechia, Babylonem proficiſcitur. Ei librum tradit propheta, in quo Babylonios adhortabatur, ne durè nimis tractarent captiuos, quos Deus illis caſtigandos, non extinguendos dediſſet. Mandauit item Saraiæ, vt eundem librum Babylonijs legeret, & de regni illius vaſtatione loqueretur: lectum & lapidi alligatum, in flumen Euphratem proijceret, oſtenſurus ſimili olim modo ſubmergendam Babylonem, nec gentium reginam amplius futuram, propter libidinem & ſuperbiam.*

252. EBEDMELECHVS.

EBEDMELECHVS *eunuchus, patria Aethiops, regis Zedechiæ aulicus, vir præ-*

ſtantis pietatis. cùm enim Ieremias in carcerem ſubterraneum, et lacum lutoſum ſacerdotum impulſu & atrocitate coniectus eſſet: viri innocentis miſeria ex animo doluit, regemq; eius alloquens nomine impetrauit, vt è palude extraheretur, ne interiret pædore & penuria. Salutem dedit prophetæ homo externus, quem ſui ciues, & inprimis crudeles ſacrifici, perdere ſatagebant. Officij & humanitatis à Deo, hanc mercedem retulit, vt in bello non caderet, & vitam, quam viro ſancto dederat, ipſe quoq; lucraretur.

253. ZEDECHIAS, REX XX.

ZEDECHIAS *tertius Ioſiæ filius, dictus antea Matthathias, fratri ſuo patrueli ab Aſſyrio ſubſtituitur: ſed ſacramenti immemor, & Ieremiæ faciem non erubeſcens, à rege deficit. Aſſyrij vrbe obſeſſa, reliqua oppida depopulatur: exercitus intra mœnia fame & peſte abſumitur: rex inopia & deſperatione fugiens, in manus hoſtiles peruenit. Intercluſis diuina iracundia & captis omnibus, regi lumina effodiuntur, filij priuantur vita, nobilitas ferro extinguitur, libertas adimitur omni populo. Templum, regia, vrbs, igne à Nabuzardane Imperatoris præfecto ſuccenduntur, turres & mœnia complanan-*

planantur, regio florentiſſima in poteſtatem redigitur barbaram. Rex cæcatus, in carcere moritur, qui regnauerat annos vndecim, captus anno ætatis ſecundo & trigeſimo, Iudæ rex poſtremus & miſerrimus. Durauit regnum à Rehabeamo Solomonis filio, vſq; ad Zedechiæ exilium, annos trecentos nonaginta quatuor. menſes ſex, dies ſedecim: cuius vaſtitatem multi prophetæ denunciarant: inprimis Ieremias & Hezechiel, ille præſens non interpoſito ſilentio: hic abſens, miſſis etiam è Babylone literis, quam viſurum regem Ieremias prædixit, non viſurum Hezechiel narrauit: cùm autem viſu orbatus eſſet, non vidit, quamuis eſſet in vrbem introductus. Eſt autem illa calamitas plurimis verbis & ſæpius regi & populo ſignificata, ne quis ſuæ impietatis & incredulitatis vllam excuſationem inueniret.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER SEPTIMVS.

Eccleſiæ exulis atque reſtitutæ.

254. IEREMIAS PROPHETA.

IEREMIAS *propheta, Helchiæ ſacerdotis filius, ab vtero matris tam Iudæorum, quam gentium doctor conſecratur: iaminde à prima adoleſcentia, vſq; ad vitæ exitum homo afflictiſſimus. Ad pœnitentiam & reges & populum ſine intermiſſione adhortatur, & regni excidium maturè prædicit. Tot penè hoſtes, quot auditores habet, idem tamen ſemper ſentit, & loquitur: terrens obſtinatos, non auditur: conſolans opprimendos, non admittitur: obiurgans ſummos infimosq́;, ſubſannatur. Verberatus eſt à ſacerdotibus, pulſatus à principibus, in carceres detruſus à regibus, ad mortem poſtulatus à plebe, vexatus ab omni hominum genere: vndè etiam imbe-*

cillitate

cillitate & impatientia deuictus, horam natalis ſui deteſtatur, & ſe factum hominem dolet & conqueritur. In docendo indefatigatus, in caſtigando acer, in periculis inuictus, in vinculis liberrimus, inimicus omnium impiorum ſempiternus. Regi Zedechiæ ſuadet deditionem, & annos ſeruitutis exprimit, & liberationem fore certam oſtendit: ſed ſurdo narrat omnia. Vrbem cremari ſuis oculis vidit, nec non ſuorum hoſtium aut vincula, aut interitum conſpexit: ipſe libertate donatus eſt à præfecto Aſſyrij. Docuit ſub quinque regibus, annos circiter quinquaginta. Manens cum reliquijs ciuium humilimorum in patria, tumultu populari in Aegyptum pertrahitur, & iuxta vrbem Taphnas ſaxis obruitur, in loco celebri ſepultus, vt ſcribit Epiphanius: contrà placidè obijſſe, ſolus è veteribus tradit in carmine ſuo Tertullianus.

255. GEDALIAS.

GEDALIAS *filius Abichami, vir nobilis & moderatus, Iudeæ præfectus ab Aſſyrio relinquitur. Ieremiam benignè & honorificè tractat, cui optione data, vel in Iudæa manendi, vel Babylonem migrandi, ruinas patriæ habitare maluit. Reliquiæ Iudæorũ ſub hoc præfecto, vixerunt tranquillè, ſed ipſe vicio credulitatis nimium laborabat in vtramq; partem. nam*

amicis fidem non habuit, qui eum de Iſmaëlis inſidijs, certiorem faciebant: & Iſmaëli hoſti credidit, qui eius caput & iugulum petebat. Socijs fidis interdicit, ne inſidiatorem opprimerent: Iſmaëlem hominem periurum hoſpitio excipit, à quo domi ſuæ inter epulas interficitur.

256. ISMAEL TYRANNVS.

ISMAEL *Nethaniæ filius, regia ſtirpe inflatus, tyrannidem affectat, Gedaliam hoſpitem ſuum, & bene de ſe meritum per inſidias euertit, Chaldæorum præſidia eijcit, & ſtragem Iudæorum tantam edit, vt foſſam ab Aſa rege ductam cadaueribus impleret. viros octoginta religionis cauſa vrbem ſacram adituros, Miſpam aſtu inuitat, è quibus ſeptuaginta perimit, reliquos ſpe monſtrati theſauri, dimittit ſuperſtites. Filias regis, & populi reliquias, cùm ei Iohanan vnà cum præda extorſiſſet: ad Ammonitas ſocios ſe recipit, cùm locum in Iudæa tutum nuſquam inueniret.*

257. IOHANAN TYRANNVS.

IOHANAN *filius Careæ, Iſmaëlis æmulus, Iudæos captos ab eo in libertatem reſtituit,*

Miſpen-

Miſpenſibus & Gibeonitis, vrbem reddit. Auctor fuit populo, vt metu Chaldæorum, in Aegyptum ſe conferret: cui maxima contentione Ieremias repugnabat. In hunc ipſe atrociter inuectus, populum in barbaram prouinciam deducit, & prophetam coactum atq; ligatum, ſecum abripit. Populus in Aegypto fame, bello, peſtilentia conſumitur, & quod vitare cupiuerat, ne Chaldæis ſeruiret, in idipſum malum cum maiore clade & infelicitate incidit.

258. ACHABVS ET SEDECHIAS PSEVDOPROPHETAE.

ACHABVS *filius Colaiæ, & Sedechias filius Maaſiæ, corruptores doctrinæ ſanctæ, & vicijs omnibus infames, & hoſtes Ieremiæ capitales, cum alijs impijs in ſeruitutem Babylonicam abducuntur. Moti non ſunt, vel calamitate publica, vel ſua miſeria, vt vitam apertè ſceleratam emendarent. Quamobrem libidinis & flagitiorum peſſimorum conuicti, ſententia Nebucadnezaris, in ſartaginem feruentem conijciuntur, & ſupplicio horrendo extinguuntur atrociſſimè. Inde eſt ſermone vulgi iactatum, cùm alicui malum extremum quis imprecaretur, vt diceret, Eueniat tibi, quod Achabo & Sedechiæ, hominibus impijſſimis euênit.*

249. BARVCHVS PROPHETA.

BARVCHVS Neri filius, famulus & amanuenſis Ieremiæ, lateri ſui domini ac præceptoris ſemper affixus, nullo in periculo eum deſeruit, doctrinam veram & ipſe propagauit, & in lingua patria elegans ac diſertus ſcriptor fuit. Detento propheta in vinculis, quæ iuſſus fuerat, in templo publicè legit, librum à rege laceratum, denuo tranſcribit, et plura adiungit vaticinia. A' rege Ioacha duci iuſſus, diuino præſidio ſeruatur, ne furori tyranni obijceretur. Deductus in Aegyptum, in tantam animi perturbationem incidit, vt non procul à deſperatione abeſſet: ſed Ieremias monendo & conſolando, hominem ſibi fidiſſimum ſubleuat atq; erigit. Hic propheta & in patria, & in exilio, cum ſuo præceptore indeſinenter docuit.

260. OBADIAS PROPHETA.

OBADIAS propheta populo exuli & captiuo verba facit de liberatione, quæ ſit futura glorioſa. Inuehitur in gentem Idumæam, impiam & inſolentem, quæ ex malis & calamitatibus Iudæorum, non ſolùm animo voluptatem

caperet,

caperet, verumetiam ludibrijs & petulantia eos ſubſannaret: cuius gaudium verſum iri in triſtitiam ore veridico narrat.

261. HEZECHIEL PROPHETA.

HEZECHIEL *propheta, Buſi eruditi ſacerdotis ſapiens filius, trigeſimo ſuæ ætatis anno ad docendum publicè ſe contulit. Tempore regis Ioachimi profectus Babylonem ſponte eſt cum ijs, quos ad migrationem Ieremias hortatus fuerat. Abſens ſtatum vrbis ſacræ, Deo per ſomnia aut raptus mirificos demonſtrante, cognoſcebat, & conſpectu gloriæ Dei per varia ſimulacra fruebatur: vndè eius miſericordiam ſplendidè effert, & reditum in patriam populo promittit, & multis gentibus vrbibusq; mala & damna varia minitatur. Mittit etiam è Babylone literas ad regem Zedechiam, quibus illi deditionem prudentiſſimè ſuadet, néue funditus patriam euertat, fideliter admonet. De regno Chriſti, de mortuorum reſuſcitatione, de interitu tyrannorum, de vltimis Eccleſiæ temporibus, de noui templi inſtauratione & pulchritudine, dulciſſimè & perſpicuè docet. Occiſus perhibetur à principe Aegyptio, quem ſua libertate nimis offenderat, vt eſt apud Epiphanium.*

262. PELATIAS.

PElatias *Banaiæ filius, vnus è viginti quinq; principibus, quos populos extulerat, aduerſa Deo conſilia agitabat, & in ſumma licentia viuebat, & à ſe diſſentientes ferro reprimebat. Accuſatus cum collegis ſuis ab Hezechiele, concione eius graui, ita totus animo conſternatur, vt in ipſo templi veſtibulo, nondum finita prophetæ oratione, ſubitò expiraret: cuius obitu repentino Deus ſignificabat, æquè celere et inopinatum reliquis principibus inſtare exitium, niſi vitam quàm primum emendarent, & cogitationes peruerſas atq; cruentas abijcerent.*

263. ARBACES MEDVS.

ARbaces *Medus, qui & Arbactus, ſedem regiam è Nino in Ecbatana tranſtulit, eamq; vrbem à ſe conditam, caput imperij Medici fecit, & mœnibus, portis, turribus, propugnaculis munitiſſimam reddidit. Rex Babylonius ſibi aliquem parem eſſe non ferens, anno ſui imperij duodecimo, magnum ei bellum infert, victumq; è medio tollit, & gentem totam in ſuam redigit poteſtatem. De Ecbatanis quæ dicuntur, ſcribunt etiam Græci: reliqua, quia à Græcorum hiſtorijs longè diſſident, omnes Medorum reges*

Arbaces nominatos fuiſſe, vt Parthorum Arſaces, Aegyptiorum Pharaones, opinione colligimus: eamq́; vrbem, quam rex primus muniјt, ab hoc poſſeſſam, donec à Babylonio ſubiugaretur.

264. HOLOFERNES.

HOLOFERNES *Imperatoris Aſſyriorum dux, longo tempore feliciſſimus: in Cilicia, Arabia, Syria, templis vaſtandis, & legibus abolendis, ſuum Imperatorem ſolum eſſe Deum & dominum, declarare voluit. Bethuliam montanam Iudææ vrbem obſidet, et inciſis aquarum tubis, fontibusq́; aſſeruatis, ita premit, vt milites ſui iam deficerent. Eſt autem is, qui & Deum & homines contemſerat, manu Iudithæ, mulieris viduæ, nudus in lecto interfectus, acinace proprio, ne tam ſuperbum prodigium, vel hanc ſuæ mortis relinqueret famam, quòd viri alicuius telo gladioue in armis aut prælio cecidiſſet. Caput eius affixum conto, de mœnibus Bethuliæ ſuſpenditur, & lecti conopeum, in facti memoriam, diu aſſeruatur.*

265. ACHIOR AMMONITA.

ACHIOR *princeps Ammonitarum, quos Holofernes vnà cum Moabitis vicerat, de*

ſtatu

ſtatu populi Iudaici ab Holoferne interrogatus, de eius antiqua origine, perſpecta ſanctitate, & inuicta virtute incorruptum dixit teſtimonium: propter quod præfecti & tribuni regij ita excanduerunt, vt cenſerent ſtatim interficiendum. Holofernes, vt cum ijs, quos laudauerat, cæderetur, vinctum, ad vallum hoſtile adduci, & ad arborem alligari iubet. is à vigilibus Bethulienſium capitur, & expoſita ſuæ miſeriæ cauſa, in oppidum cum plauſu ducitur, & de Dei omnipotentia ac bonitate edocetur. Achior incredibili miraculo ſeruatus, & perculſus noua per fœminam victoria, ritu gentilitatis relicto, in Deum verum, rerum conditorem credit, & inter ciues populi Dei recipitur.

266. IVDITHA.

IVDITHA *Rubenitis, filia Merari, vxor Manaſſæ, vidua Bethulienſis: pietate, caſtitate, forma, diuitijs, æquè excellens, Oziam ducem, mente & fide imbecillem repræhendit. In caſtra Holofernis profecta, ſua ipſum pulchritudine dementat, & orationis aſtutia euertit. Eundi redeundiue poteſtatem ſpecie religionis impetrat. Vocata ad cœnam Perſicam, cibos immundos & vetitos non tangit: inuitata ad concubitum, ſubdolè aſſentitur. In ducis cubiculum deducta, vino & ſopore ſtertentis, caput illi amputat,*

putat, & truncum prouoluit. Bethulienſes eius beneficio liberati, portis cum impetu exeunt: hoſtes fœmine audacia ſtupidi, & caſu ducis exanimati, fuga turpiſſima palantes diſperguntur. Mulier de tyranno triumphum agit, & Deo miſericordi atq; inuicto hymnum canit gratulatorium, & theſauro Holofernis, communi iudicio, donatur: lumen patriæ, decus ciuium, gloria nominis Iudaici, terror gentilium. vixit annos quinq; ſupra centeſimum, Bethuliæ condita, iuxta mariti ſui monumentum.

267. ABRA.

ABRA *Iudithæ pediſequa, cum hera ſua vitam parui æſtimat, & periculorum ſocia in caſtra hoſtis, dominam ſine terrore conſequitur. Caput Holofernis, cui ſe omnes Aſſyrij inclinauerant, vtre portat ſanguineum: propter fidem manumittitur, & propter obſequium erga dominam, in honore habetur: particeps gloriæ, quæ & diſcriminis fuerat.*

268. OZIAS DVX.

OZIAS *dux Bethulienſium, capto Achiori cœnam lautam apparat, quòd eſſet pro Deo, & populo eius locutus animoſè: Iudithæ ſe obiurganti, quòd Deo iuuandi tempus præſcripſiſſet,*

pſiſſet, placidè paret. In vrbe obſeſſa populum, clamore vnanimi deditionem poſtulantem, placat: minimè quidem fortis aut perſeuerans; attamen non pertinax: alijs timens, & alios audiens. Exhilaratus victoria mirabili, gratias Deo Liberatori, & Iudithæ Victrici, cum gratulatione & tripudio agit: nec occaſionem amittens, curſores ablegat, vicinos exhortantes, vt hoſtes fugitiuos inſequerentur alacriter. In colligenda præda barbarica populus dies triginta detinetur, omnisq; auro, ſupellectile, armis, & ſpolijs multiplicibus onuſtus redit.

269. IOACHIMVS SACERDOS.

IOACHIMVS *ſacerdos, Aſſyriorum aduentu nunciato, anguſtias montium, & aditus viarum claudit, per vrbes & caſtella milites diſponit. Inprimis iram Dei iamiam graſſantem, ſuadet mitigandam abſtinentia & emendatione, promittitq; præſens Dei auxilium pœnitentibus. Audita Bethulienſium victoria, publicè gratias agi Deo per vrbem ſacram & oppida mandat, & Bethuliam, celebri ſacerdotum comitatu, & magna hominum piorum frequentia, ad Iudithamſalutandam proficiſcitur.*

270. SVSANNA.

SVSAN-

SVSANNA Helchiæ filia, Ioachimi vxor, non minus ſanctitate, quàm forma eximia prædita, cùm in pomario domus ſuæ inſidijs circumuenta appellaretur de adulterio, à duobus primatibus, verita Deum & conſcientiam, periclitari honeſtè, quàm agere turpiter maluit. Vocata in iudicium, per calumniam damnatur, frequentiſſima populi concione, ab ijs hominibus, qui nouerant illam eſſe piam, & vicij expertem. Ad ſupplicium tractam, multorum hominum gemitu & querelis, puer Daniel in turba exclamans, eam cauſa liberali aſſerit, & teſtes improbos atq; fallaces examinans, ſceleris et impudentiæ coram multitudine conuincit. Deus decretum in pudicam & immerentem ſupplicium, in ſenes ipſos petulantes & audaciſſimos conuertit, qui ſaxis à populo plaudente cooperiuntur.

271. DANIEL PROPHETA.

DANIEL *de ſtirpe nobili adoleſcens, cua ſit in vniuerſo Chaldæorũ regno optimus, ſapientiſſimus, maximus: cui rex diuinos honores decernere ſtatuit, propter incredibilẽ ſapientiam, et virtutum omnium admirationẽ. Docuit reges multos, Nebucadnezarem, Merodachum, Balſaarem: item Darium & Cyrum, à quibus etiam omnibus eſt & præmijs & honoribus affectus.*

ſectus. Iuſſus interfici cum Magis cæteris, & ſe & alios liberat: coniectus in leonum foueam, paſcitur & ſeruatur ab Angelo, deploratur ab ipſo Imperatore. Nebucadnezari monſtroſum exilium, alteri eius filio interitum prædicit: de imperijs regniſq; ad finem vſq; mundi, ex habitu poſitæ ſtatuæ, & ex imaginibus beſtiarum quatuor prædicit: de Meſſia venturo paſſuroq; è numero hebdomadarũ, tum de Antichriſto ſcribit euidenter. Serpentem Babylonicum, qui pro numine colebatur, obiecta offa necat: ſacerdotum fraudes, qui regem deceperant, conſilio ſingulari detegit. Nulla calumnia adigitur, nullo periculo terretur, vt ſuum Deo æterno cultum detrahat: tanta æſtimatione viuit, vt nullus clarior aut potentior in populo Iudaico vnquam fuerit: tanta in opibus immenſis integritate, vt nullius vnquam ne ſuſpicio quidem criminis in eum inciderit: à tot & tam potentibus aduerſarijs petitur, vt mirum ſit vnum fuiſſe hominem ſatis ad iniuriam: ſed apertam Dei defenſionem ſenſit, vſq; ad annum exilij ſui ſextum & ſeptuageſimum, ſemper factus ſe ipſo clarior. Sepulchrum eius Babylone in angiporto multis ſeculis notum fuiſſe nonnulli tradunt.

272. NEBVCADNEZAR ASSYRIVS.

NEBV-

NEBVCADNEZAR rex Aſſyriorum, cognomento Magnus, Imperatorem Medorum, & reges vicinos omnes domuit, mouens in Iudæam, vrbem ſacram menſes octodecim obſidet: regi capto oculos effodit, nobilitatem de medio tollit, vrbem & templum incendit, populum in colonias diſpergit, exceptis paucis operarijs & agricolis. E captiuis Iudæis, quorum admirabatur ſapientiam, ludum regium inſtituit de ſui ærarij ſuæq; menſæ ſumptibus, & mox à ſuo alumno Daniele inſtitutus, veræ religionis inſtruitur noticia, præmiaq; & ſtipendia tribuit doctoribus. Ab eodem admonitus, vt faſtum nimium deponeret, magis animo ſuo, & aulicis magnificis atq; ſuperbis, quàm viro Dei obſequitur. Eiectus è regno, in ſolitudinem ſilueſtrem fugit, & bouis pabulo vtitur, cœli tempeſtatibus ſub dio obnoxius, & mente atq; ſenſu, animante bruto nihilo ſanior. Capilli eius, vt iubæ leonum: & digitorum extrema, vt aquilarum vngues creuerunt: nimirum, vt non vnius tantùm beluæ referret ſimilitudinem pœna, qui multarum fuiſſet ſimilis moribus & conſuetudine. Ad ſanitatem poſt annos ſeptem rediens, in ſolium regium rurſus collocatur: qui poſt id tempus animo humili gratoq; Deum colit, & eius bonitatem admirabilem ſuis edictis prædicat. Annos regnauit quinq; & quadraginta: miracula videns & expertus, quanta poſt Pharao-

O nem

nem Buſyrim, nemo alius regum exterorum omnium omnibus temporibus.

273. LVDVS IMPERATORIVS.

MAGNVS *Imperator cùm alijs prouincijs ſubiectis, tum populo Ebræo in poteſtatem redacto, ludum aperiri è pueris & adoleſcentulis regijs, præcipit: quorum & corporum ſoliditas & habitus, & indoles ingeniorum ad eruditæ & liberalis diſciplinæ aſſuefactionem, apta haberetur. Iis de rebus ad vitam victumq; pertinentibus abundè, & de optimis ac ſapientiſſimis præceptoribus, ſingulari conſilio proſpexit. Inſtituti primùm ſunt in lingua Chaldaica, quod fieri ſine literis nequit: deinde in pietate, & laboribus animi atq; corporis, inq; omni genere virtutis & honeſtatis exercitati. Inter eos adoleſcentes Ebræi ſapientia, eruditione, temperantia ita eminuerunt, vt illis ſimiles aut pares non inuenirentur, nec alijs regiæ præfecturæ aut munera poſſent dignius committi. Ex hoc ludo prodijt propheta Daniel, Regum doctor & conſiliarius, & ſocij eius tres, qui Coloſſum Imperatoris adorare noluerunt: quibus viris totum illud ſeculum nihil vidit melius, ſanctius, honoratius.*

ASPENAS

274. ASPENAS.

ASPENAS *ſpadonibus præfectus in aula Babylonica, è captiuis hominum nobilium corporibus iuſſus eligere adoleſcentes forma eximios, præcipuè Danielem, & tres eius ſocios atq; æquales elegit, eosq; amauit tantopere, propter humanitatem & modeſtiam, vt quæ ipſi præſcriberent, exequeretur. nam victu regio, quem capere maiorum inſtituto & legibus non poterant, eis detracto, aqua & leguminibus ipſos aluit, & Melzari pædagogo ſingulariter commendauit. erant autem meliore colore, viribus, habitudine, quàm ij, qui cibo & potu delicatiſſimo vterentur.*

275. ARIOCHVS.

ARIOCHVS *Babylonius, regis apparitor, Magorum interficiendorum mandatum habebat, propterea quòd ſomnium quoddam regi in memoriam reuocare ignorarent. Is rogatu Danielis, à cœpto immani ad tempus deſiſtit, & aliquot ei dies ad inueſtigandum concedit: quibus exactis Danielem ſomnij reuelationem et explicationem promittentem, ad regem introducit. vir certè plurimùm laudandus, quòd cædis non eſſet nimiùm auidus, quodq; mandata ſanguinolenta pertinaciter non faceret: qua ſua mo-*

deratione & ſaluti conſuluit virorum doctiſſimorum: & honori regis, ne tot viros innocentes perderet, cuius eum facti mox potuiſſet pœnitere.

276. SADRACH, MESACH, ABEDNEGO.

SADRACH, *Meſach, Abednego, propter ſtirpis nobilitatem et ingeniorum ac formæ excellentiam, in regium andronem accerſuntur. More patrio, à cibis lege Dei prohibitis, abſtinent: & doctrina, breui tempore ita excellunt, vt præfecturis prouinciarum ornarentur: iuuenes ad res maximas nati & accommodati. Erectum à rege è diuerſis metallis Coloſſum cùm adorare nollent, in caminum ardentem ligati coniiciuntur: ſed ſeruati à filio Dei, cum ipſis in flammis exiliente, et ita æſtus reprimente, vt neq; capilli corporis, neq; fila veſtimentorum, igne læderentur, vtq; ardori fidei, ardor cederet etiam incenſi ſeptuplo ardentius camini. Rex miraculo ſtupidus, Deum Iudæorum, ſolùm verum & immenſum, ſuo extollit præconio, & nomini eius fieri conuicium aut contumeliam prohibet, edictaq; de eo colendo per prouincias proponit. Adoleſcentes maioribus quàm antea dignitatibus eucbuntur, propter ſuam conſtantẽ in Deum pietatem*

pietatem atq; fiduciam. Milites & lictores, qui eos vinxerant, à flamma erumpente conſumuntur: præfecti & duces, qui accuſauerant, in fornacem conijciuntur: rex & conſiliarij, qui tulerant iniuſtam ſententiam, errorem ſuum trementes confitentur.

277. MERODACHVS ASSYRIVS.

MERODACHVS *rex Aſſyriorum, patri Magno ſuccedit, facilis & beneficus in Eccleſiam. primo enim ſui regni anno Ieconiam, quem pater eius annos ſeptem & triginta captum tenuerat, è vinculis producit, eiq; honorem habet, & muneribus afficit, & ali de ſua menſa totius vitæ tempore præcipit. Regnauit annos triginta, & quia Iudæos amore religionis fouit atq; honorauit, Fatui cognomine eſt à ſuis appellatus.*

278. BALSAAR.

BALSAAR *rex, Magni filius, impius, audax, temerarius, temulentus, Babylone obſidetur à Cyro ferè biennium, qui Euphratem flumen maximum per vrbis regiones deductum, in foſſas deriuat & auertit, ſimulatoq; obſidio-*

nis tædio, exercitum abducit. Balſaar conuiuium opiparum ciuibus & militib. parat, vaſa ſacra è templo rapta profert & contaminat, & ex ijs ad menſuram cum aulicis & concubinis potat. Inter vinum, manus Dei appâret, et literas in parietis tectorium ignotas pingit: quas Daniel, à matre regis aduocatus, ſolus intelligit, & interpretatur, & ſubitam regi perniciem nunciat. Eadem nocte Babylonijs belluantibus, per ſiccatum fluminis alueum, milites Cyrus introducit, regem interficit, aulicos ebrios capit, vrbe & arce potitur: quam vel opere humano extrui potuiſſe, vel humana virtute deſtrui, pœnè incredibile apud mortales habitum, teſte Oroſio. Tenuit imperium annos quatuordecim, quod ab ipſo ad Perſas eſt tranſlatum.

279. DARIVS MEDVS.

DARIVS *rex Medorum, Abaſueri vel (vt in Græcorum monumentis) Cyaxares, Aſtyagis filius, anno ætatis ſecundo & ſexageſimo, imperare cœpit, & Danielem præ omnibus alijs maximè euexit, & eius genti conſeruauit regum veterum beneficium. Verùm quantò magis illum amabat ipſe, tantò impenſius oderant aulici, qui odio & calumnijs efficiunt, vt rege inuito in antrum leonum demitteretur. Cuius*

vicem

vicem ita rex doluit, vt & verbis illum grauibus confirmaret, & ieiunus atq; pernox ſuam erga virum pium oſtenderet beneuolentiã. Cum prima autem luce ad viuarium contendit, quod ſuo annulo, néquid ab inuidis homo præſtans & innocuus iniuriæ pateretur, obſignauerat, et Danielem illæſum offendens, gratulando extrahit: inquiſitos æmulos eius, cum liberis & vxoribus laniandos feris obijcit: quæ vt virum immerentem non attigerant, ita oſſa obtrectatorum comminuerunt mordicus. Deum Danielis beneficum & omnipotentem, in omnibus prouincijs colendum, edicto ſanctiſſimo mandat.

280. CYRVS, PERSA.

CYRVS *rex Perſarum, Darij frater, à propheta Iſaia, longè antè quam eſt natus, rex deſignatur. Imperij ſui anno primo, de templo Domini exædificando mandatum euulgat. Iudæorum circiter tria & quinquaginta millia in libertatem reſtituit. Vaſa templi in vrbem ſacram remittit, & ampla de ſuis theſauris adijcit donaria, decernitq; ſumptus ad fabricam, item ad victimas, & alendos ſacerdotes. Nihil planè intermittit, quod nouerat ad ædificij magnificentiam, & populi oppreſſi gloriam ſpectare: præcipit quoque Syrorum & Phœnicum præfectis,*

 vt idem

vt idem curarent atq; perficerent, quanta poſſent diligentia. Doctorem habuit prophetam Danielem, qui de futuris imperijs & quibuſdam regnis orbis terrarum, prolixè illi narrauit, principi inter omnes exteros optimo & præſtantiſſimo. Vixit annos centum, imperauit duos & viginti, in lectulo domi placidè obijt: vt Oneſicritus & Xenophon tradiderunt. Memorantur quædam eius ſomnia fatidica, vndè à Deo ipſo et de regni tranſlatione, & de obitu ſuo admonitum eſſe conſtat.

281. SESBASAR.

SESBASAR *ſatrapa Cyri, præfectus miſſus in Iudæam, vaſa templi precioſa iuſſu regis deportat, et eiuſdem mandato primum templi lapidem ponit: amicus & fautor Iudæorum, à quibus informatus erat, ſe non ſolum regi ſuo rem gratam facere, ſed tale ſtudium, talemq; operam Deo quoq; altiſſimo placere.*

282. CAMBISES PERSA.

CAMBISES *Cyri filius, monſtro quàm homini ſimilior, audax, libidinoſus, crudelis, efferatus, Dei & propinquorum contemptor.*

Patris

Patris edictum de templo extruendo antiquauit, & propter tyrannidem luctum ſeni ingentem attulit. Amiſit copias innumerabiles, primùm fame in Aethiopia: deinde ingeſtis per ventum harenis, in Libya. Domi occupata à duobus Magis regia, imperio excidit, & equum conſcenſurus, ſuo ſe pugione transfodit, obijtq; poſt vulnus acceptum, die trigeſimo, Ecbatanis in Syria, tyrannidis anno ſeptimo.

283. SERVBABEL DVX.

SERVBABEL *Salathielis filius, regis Ieconiæ nepos, Babylone naſcitur, dictus alio nomine Berechias, primus dux poſt exilium Babylonicum. Dimiſſus à Cyro, templi à fundamentis inſtaurandi accepit poteſtatem, eſtq; opus difficilimum aggreſſus, non minore ſapientia, quàm animoſitate: ſua quoq; munera, quæ à rege munifico acceperat, ſtructuræ liberaliter impendit. Ad loci ſacri erectionem, cùm gentes vicinæ ſe admitti flagitarent, eas in ſocietatem noluit accipere, ſuiq; eis facti rationem reddidit. Ea de cauſa accuſantes ipſum, in aula Perſica, mandatum Cyri iuſſibus contrarium ab impio & ſcelerato Cambiſe impetrant: hic tamen nihilo minus inſtitutum ſuum vrget, Deoq; ipſius conatus iuuante,*

uante, agit fortiter & prudenter. Moritur anno ætatis octauo & quinquageſimo.

284. IOSVA, SACERDOS.

IOSVA *filius Ioſadachi, nepos Saraiæ Serubabeli duci cauto & magnanimo, pro ſuis opibus & auctoritate, nullo loco periculóue defuit. Menſe poſt exilium Babylonicum ſeptimo, feſtum tabernaculorum ſolenne inſtituit, & collecta tributim pecunia, templum molitur, in quo ædificando anni ſex & quadraginta ſunt conſumpti. Opere templi abſoluto, Paſcha celebratur anno ſexto Darij regis, mira frequentia, ſed non perfecta hilaritate. nam ij, qui priſtinum loci ſplendorem & magnificentiam viderant, non ſine gemitu & lacrimis, hoc opus nouum, illi minimè æquandum, aſpectabant.*

285. HAGGAEVS, PROPHETA.

HAGGAEVS *Propheta, primus poſt exilium, vt in templo reſtituendo ne defatigarentur, duci Serubabeli, & ſacerdoti Ioſuæ, animos addidit: populum verò exagitauit, quòd quiſque in ſua domo reparanda eſſet attentior, quàm*

quàm in formam veterem redigendo templum Domini. Cùm autem voluntates hominum excitauiſſet, etiam ipſos confirmauit conſolatione, venturum videlicet Meſſiam, omnibus gentibus deſideratum, qui in hoc ipſo templo regnaturus eſſet doctrina, miraculis, auctoritate. Ad pœnitentiam vocat exemplis, & memoria malorum præteritorum, ſolijsq; regum impiorum minatur euerſionem.

286. ZACHARIAS, PROPHETA.

ZACHARIAS *Propheta, Berechiæ filius, Iddonis nepos, Haggæi collega, opus templi ſuis concionibus fideliter maturandum ſuadet: & interea de alio templo longè pulchriore loquitur, quod ſit futurum perenne & æternum. Chriſtum Dominum vectum aſino, vrbem regiam ingreſſurum affirmat, et triginta nummis argenteis iri venditum, ſub imagine indicat, & vulneratum ipſum atq; transfixum, fore alijs ſolatio dicit, deniq; effuſurum eſſe ſpiritum ſuum gratiæ & precum teſtatur. De percuſſione paſtoris, & diſperſione ouium: item de collectione Eccleſiæ, ex Iudæis & gentibus congregandæ, verba facit. Dulciſſimi huius prophetæ teſtimonijs & doctrina vtuntur Matthæus, Marcus, Iohannes Euangeliſta, & Paulus Apoſtolus.*

ARTA-

287. ARTAXERXES, I. PERSA.

ARTAXERXES *Ahaſuerus, qui etiam Darius ab Haggæo & Zacharia prophetis nominatur, Hyſtaſpis filius: coniuge ſuperba repudiata, Eſtherem Ebræam ducit, eiq; nomen Auguſtæ tribuit. Idem ſacerdotem Eſdrã dilexit, eiq; propter ſapientiam obtemperauit, cui etiam conceſſit liberaliter, vt Ieroſolymam rurſus coleret, & à ruderibus purgaret: inprimis iniunxit, nequid deſiderari pateretur, vel quod ad alimenta ſacerdotum, quos toto regno immunes eſſe voluit: vel ad ſacrificia vſitata legitimè peragenda, pertineret. Sumptus de ſuo ærario erogat, & ad eandem munificentiam ſatrapas, nobilitatem, plebem exhortatur. Hoſtes Iudæorum in ſuis prouincijs decretorum ſeueritate compeſcit, & Hamanum Macedonem eis inſidiatum, cum omni ſtirpe ſua fœdo ſupplicio afficit. Eſdræ ſacerdoti poteſtatem dedit puniendi fortunis, carcere, exilio, morte, omnes eos, qui aut in legem Dei, aut regia præſcripta deliquiſſent. Imperauit annos triginta ſex.*

288. ESTHER.

ESTHER *de tribu Beniaminis, filia Abihailis, cùm vtroq; parente orbata eſſet, à patruo*

truo Mardachaio educatur. Inter captiuas puellas Babylone electa, fit vxor Artaxerxis, primi Imperatoris, à Perſis Atoſſa appellata, vt eſt apud Herodotum. Morum ipſa & formæ excellentia, ita mariti animum cepit & deuinxit, vt nullam magis amaret, ei nihil negare poſſet. Hæc de prauo & abominando Hamani parricidio, quo Eccleſiam Dei euertere parabat, cognoſcens, primùm ad Deum per ieiunia & preces confugit, deinde Imperatorem liberrimè adit: cuius animum gubernante & flectente Deo, ita ore & ſermone perſtrinxit, vt gentem proſcriptam & damnatam liberaret, & retractaret ſententiam crudelem, & Hamani perfidiam, quem patris loco coluerat, iuſta animaduerſione puniret. Quod poſtquam factum eſt, beneficentia Imperatoris, arce fortuniſq́; omnibus Hamani potitur. Suſpicantur nonnulli Eſtherem belli contra Græcos auctorem fuiſſe, quòd homo Græcus nomen Iudæum extirpare voluerit.

289. HATACHVS.

HATACHVS *eunuchus, Auguſtæ & gynæcei cuſtos, in gratia Eſtheris fuit. nam eius mandata curauit fideliter, & luctum Mardachai ipſi expoſuit, qui propter Hamani crudelitatem, ſordidatus & eiulans vrbē peragrabat. Hatachus igitur ſuo nuncio cauſa fuit ſeruati populi Iudaici.*

MAR-

290. MARDACHAIVS.

MARDACHAIVS *Iairi filius, rege Iecconia capto, vinctus Babylonem ducitur, pupillam Eſtherem fratris filiam adoptat, in aula viuens, eunuchos vitæ Imperatoris inſidiantes indicat, adorationis honorẽ Hamano è Græcis Macedoni negat. Admonitus accepti beneficij Imperator, Mardachaium equo regio inſidentem, ornatumq́; diademate, gemmis & byſſo duci per vrbem iubet, & præcone Hamano, eius merita celebrat. Ipſe æmulo ſuo ſtrangulato, palatio præficitur, & ſecundus à rege honoratur, & poteſtatem interficiendi hoſtes Iudæorum per omne imperium accipit. Interfecta gentilium ſeptuaginta quinque millia: vndè menſis Martij bini dies decimustertius, & quartus, genti Iudææ ſunt ſolennes. Vixit ſecundum Philonem, annos centum nonaginta ſeptem.*

291. HAMANVS.

HAMANVS *Agagithes, gente Macedo, in regno Perſico vir ampliſſimus, & alter pater Imperatoris, nominatus: faſtu & diritate intolerabilis. Mardachai odio flagrans, totam eius gentem cogitat è medio tollere, tanquam*

quam abominabilem. Igitur literas à rege efflagitat, & eius ærario decies mille argenti talenta ſe illaturum promittit. Imperator ei aſſentitur, tanquam viro primario, & minimè ſuſpecto, & pecuniam promiſſam, ipſi donat, & decretum ſanguinarium diuulgat. Imperatoris poſtea animo Dei prouidentiâ mutato, poſtquam improbitatem & inuidiam Hamani compererat, eum in crucem tolli mandat, & eadem pœna filios eius decem afficit, & omnibus bonis ac poſſeſſionibus exuit. Dignitate Hamani Mardachaius potitur, fortunis Eſther: propter eius interitum nemo Perſarum doluit, omnes Iudæi lætitia exilierunt.

292. HARBONA.

HARBONA *è ſeptem intimis eunuchis, qui aulæ Perſicæ præerant, Hamano infeſtus propter ſuperbiam, quòd Mardachaio, bene de imperio merito, crucem cubitûm quinquaginta erexerat, id imperatori ſignificat: qui laceſſitus ſcelere eius & tyrannide, animo vehementer turbatur, & Harbonam ſtatim mittit, qui iubeat Hamanum ſupplicio infami tolli, & ei arbori affigi, quam capiti, viri probi & iuſti, iniuſtè ſtatuerat.*

293. ESDRAS SACERDOS.

ESDRAS *Saraiæ ſummi ſacerdotis filius, Ioſadachi frater, locum gratiæ primum apud Artaxerxem obtinuit: alter à Serubabele, qui magnum populi numerum in Iudæam reduxit. Anno imperij Artaxerxis ſeptimo, poſt reditum Serubabelis quinto & quadrageſimo, libros Moſaicos publicè interpretatus eſt: ſacra, dies feſtos, diſciplinam reſtituit: corruptelas, ſuperſtitiones, gentilitatem extirpauit: connubia cum Ethnicis contracta, non ſine difficultate diremit: nullum viri integri & magnanimi prætermiſit officium, vel hoc nomine laude ſempiterna vehendus, quòd Dei ſummi præcepta & ſanctiones, hominum fauori ſemper antepoſuit: vir præter virtutis merita, corporis etiam dignitate ſpectabilis. Sepultus eſt Ieroſolymis, pſalmosq; Dauidis antea confuſos eo ordine, quo nunc leguntur, diſpoſuiſſe dicitur.*

294. SACHANIAS.

SACHANIAS *Iebielis filius, Eſdram ſollicitum & anxium alloquio conſolatur, & grauitate roborat, nequid ſibi obſtare in impijs connubijs dirimendis patiatur: Dei eſſe conſiderandam*

randam

randam voluntatem, non timendam hominum iracundiam. Itaq; indicto Ieroſolymam conuentu, legem Eſdras promulgat, vt fœminæ gentiles, & ex ijſdem procreati liberi, è familijs Ebraicis pellantur: aut ij, quibus moleſta & intolerabilis lex ſit, è populo Dei quamprimùm diſcedant.

295. ARTAXERXES II. PERSA.

ARTAXERXES, *qui etiam Darius, Ahaſueri filius, matre Iudæa natus, cognómento Longimanus. Mandatum patris de vrbe ſacra renouanda comprobat, eaq; de cauſa Nehemiam cum ingenti multitudine dimittit: cui nequid in via aduerſi accideret, comitatum militarem addit. Literas item ad prouinciarum præfectos ſcribit, ne in fabricandis portis, & ponendis mœnibus, oneri Iudæis ſint aut impedimento. Imperij eius anno vltimo, vrbs ſacra muris circumdata, & portis clauſa fuit: eamq; inhabitandi poteſtas facta eſt ijs, qui religione & legibus Iudæorum vellent viuere. Imperauit annos ſeptem & triginta.*

296. NEHEMIAS.

NEHEMIAS *filius Helchiæ, tertius & poſtremus eſt, qui diſperſum per gentiles*

 prouin-

prouincias populum, in patriam ſedem reducit, anno Artaxerxis ſecundi viceſimo, poſt reditum Eſdræ decimo quinto. Debetur igitur templi inſtauratio Serubabeli, legum Eſdræ, vrbis Nehemiæ. Etenim in Iudæam veniens, rudera ſtatim purgat, & vrbi condendæ incumbit. Cùm in ipſum conſpirarent vicini, partem ſociorum in armis excubare, partem opus iuſſit facere: donec vrbis muros, intra annos tredecim perfecit, & igne ſacro ſub terra inuento, ampliſſimam dedicationem inſtituit. Sabbathum coli religioſè mandauit, fieri cum exteris connubia vetuit, vſuras quibus pauperes exhaurirentur ſuſtulit, commercijs genti ſuæ indignis interdixit, ſacerdotum reditus auxit, agros & oppida antiquis colonis aſſignauit, hoſpitia benigna proſelytis præbuit. A populo alter vrbis conditor, & pater patriæ dicitur: celebrandus omnium ſeculorum memoria. Annum attigit centeſimum & trigeſimum.

297. ELIASIBVS SACERDOS.

ELIASIBVS *ſummus ſacerdos, Ioachimi filius, Ioſuæ nepos, cùm Tobia homine gentili, viro pecunioſo propinquitatem contraxerat, eiq; in veſtibulo templi locum aſſignarat, in quo theſauros ſuos conderet & aſſeruaret.* Nehe-

Nehemias id ægrè ferens, primùm monuit, vt ſedem templi ſacram pro ſuo officio purgaret, nec ex ea tabernam efficeret nummulariam: deinde cùm monitis nihil impetraret, Tobiæ gazam eijcit, & Eliaſibum verbis duriſſimis increpat, & locum profanatum ipſe purgat. Sedit Eliaſibus annum vnum & viginti, magis pecuniæ cumulandæ, quàm propagandæ religioni deditus.

298. SEMAIAS.

SEMAIAS *Delaiæ filius, Goſemi Arabis proditoris amicus, Saneballæ & Tobiæ gentilium muneribus corruptus, Nehemiæ inſidias furtim meditatur, & ædificationem murorum impedire cupit, adiutus à Noadia pſeudopropheta: ſed neq; æmuli verſutia, neq; impoſtoris vanitas, neq; præfectûm impiorum inſolentia, tantùm potuit, vt aut nocerent bono viro, aut eum ab inuicto propoſito auerterent.*

299. OCHVS PERSA.

OCHVS *Perſa, poſt Artaxerxis filij Eſtheris, annum vnum & ſeptuageſimum, ſceptrum capit, ſuis maioribus indignus, & infamis auaricia ac tyrannide. Subacta Aegypto Iudæã infeſtat, vſus occaſione diſcordiæ inter duos ſacerdotes fratres, Iohannem & Ioſuam Ioiadæ*

ſilios. Iohanni contra fratrem, auxilio mittit Vogeſem ſatrapam, cuius exercitu barbarico inſtructus, fratrem intra templi parietes interimit. Satrapas templum ſpoliaturus, à Iohanne arcetur: ſed is ſacerdotem verbis aſperis retundens, quòd ipſe fratris ſanguinem fundere in templo non horruiſſet, vi illud diripit, & reditus annuos à Cyro, Dario, Artaxerxe ſolutos, fiſco regio rurſus addicit. Iudæos partim Perſis facit tributarios, partim in extremam Hircaniæ oram transfert. Imperauit Ochus annos viginti ſex: ſublatus veneno à Bagoa eunucho ſuo, vt Sulpitius.

300. MANASSES SACERDOS.

MANASSES *ſacerdos, Iohannis filius, Ioiadæ nepos, lege maiorum contempta, Darij, vltimi imperatoris, ſatrapæ Saneballæ filiam, vxorem ducit: qui cùm flagicij admonitus eſſet à Nehemia, maluit ſoceri impij auctoritatem & promiſſa ſequi, quàm ſalubriter monentis pium admittere conſilium. Quamobrem Nehemias vt ipſum animo intrepido caſtigauerat: ita iudicio conſtantiſſimo è ſacerdotum ordine eijcit, & tanquam hominem contaminatum exterminat, & è ſynagoga, & è patria. Is nouum templum in monte Samariæ erigit, vt Ieroſolymitanum deſereretur, ad quem alij ſacerdotes eiuſmodi con-*

di connubijs inquinati, ſe conferebant, quibus do micilium & immunitatem Saneballa concedebat, non amore pietatis, ſed odio Nehemiæ.

301. MALEACHVS PROPHETA.

MALEACHVS *prophetarum ferè vltimus, primùm ſacerdotes repræhendit, quòd ſincerè non doceant, & ea quæ vituperanda ſint, ventris atq; voluptatis gratia, approbent: poſtea & populum obiurgat, quòd iuſta ſacerdotibus præmia aut planè detrahat, aut tenuiter & fraudulenter perſoluat. De aduentu Eliæ, qui ſit præceſſurus magnum diem Domini, clarum profert vaticinium: quem locum de Iohanne Baptiſta Chriſtus interpretatur apud Matthæum. Eius itidem locum obſcurum explicat Paulus Apoſtolus. Vetus teſtamentum in vaticinio de Iohanne, deſinit in hoc propheta: & nouum ab eiuſdem ortu incipit, in Luca Euangeliſta.*

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER OCTAVVS.

Eccleſiæ a regibus Aſiaticis vexatæ.

302. ALEXANDER MACEDO.

ALEXANDER *Macedo, Philippi filius, Amyntæ nepos, à Daniele deſignatur hirci volantis ſpecie, quia iram & libidinem frenare non potuit, & omnia facilius in bellis, quàm moram tulit: tum etiam imagine pardi depingitur, quia vinolentia captus interijt. Eius cupiditati orbis terrarum: iracundiæ, hominum infinitorum ſanguis, non ſatis fuit. In amicos ſæuus, in propinquos crudelis: in militem profuſus. Ipſum imperij Perſici futurum euerſorem, & in flore ætatis, atq; in curſu victoriarum periturum, nec hæredes ex ſe relicturum, idem propheta multis antè ætatib. præuidit. Succeſſu tam celeri vtitur tamq; felici, vt vſq; ad extrema orbis penetrauerit,*

uerit, & ſolo eius nomine gentes potentiſſimæ horruerint. Iter per Syriam faciens, vrbi ſacræ, & templo & populo pepercit. Alexandriam à ſe conditam, bona ex parte Iudæis, quòd eorum opera Aegyptios vicerat, dedit habitandã. Hauſto inter vina potu Stygio & lethifero, regna inter duces ſuos diſtribuit. nam tot ferè reges reliquit, quos conſiliarios intimos habuit: Ptolemæum Aegypti, Seleucum Syriæ, Antigonum Aſiæ, Antipatrum Macedoniæ. Imperauit annos tantum duodecim, vixit duos & triginta: turbo, vt ait Oroſius, totius orientis atrociſſimus.

303. IADDVS SACERDOS.

IADDVS *ſummus ſacerdos, Iohanni patri ſuo, fratris interfectori: et Manaſſe fratri ſuo, religionis deſertori, longè diſſimilis. Alexandrum Ieroſolymam animo infeſto venientem; placat humilitate & officijs: quem cùm ſibi obuiam videret euntem Alexander, de equo deſiliens, ſupplex ei honorem habet, vrbemq; & templum non violat, & exercitum victorem ſine maleficio per regnum Iudaicum ducit. Id cùm fieri ab eo Macedones mirarentur, reſpondit ſe memoria ſomnij cuiuſdam admonitum feciſſe: quo ſibi vir quidam tali habitu, qualis ſacerdotis iſtius fuerit, viſus per quietem, hortator fuerit, vt iret in*

Aſiam. Sacerdos prophetiam Danielis ei exponens, nempe regnum Perſicum à Græco homine euertendum, lætitia ipſum ingenti affecit, vndè Iudæis poſtulantibus multa concedit liberaliter, & templo quædam donaria relinquit.

304. ONIAS SACERDOS.

ONIAS *Iaddi filius, ſummus ſacerdos, cognomento Priſcus, à Ptolemæo Lago varijs iniurijs agitatur, cui ob potentiam reſiſtere non potuit. Amiciciam coluit cum rege Areo & Spartanis, qui Abrahamum communem generis autorem, habere ſe iactitabant: quam amiciciam Ionathas Matthathiæ filius, poſt multos annos renouauit, repetita prioris fœderis mentione, vt ſcribit Iaſon Cyrenæus. Sedit in pontificatu annos ſeptem & viginti.*

305. SIMON SACERDOS.

SIMON *ſummus ſacerdos, Oniæ filius, cognomento Iuſtus, templum nouis ædificijs, amplíat, vrbem validiorem reddit, ciues auctoritate regit, munere ſacerdotis fungitur ſplendidiſſimè: q̃ de ipſo teſtatur Syrachi filius. Hoſtes habuit Sama-*

Samaritanos, & Philiſtinos, & quoſdam factioſos è ſuis popularibus: ab Antiocho tamen rege Syriæ, in honore habetur. Sedit annis octo & viginti.

306. IOSVA.

IOSVA *filius Syrachi, Ioſuæ nepos, patria Ieroſolymitanus, vir nobilitate, ſapientia, eruditione præſtans. Regnante Ptolemæo Euergeta in Aegypto vixit, librumq; ab auo inchoatum, & ex antiquis hominum piorum commentarijs collectum, abſoluit & euulgauit: qui liber ſanctas & præclaras, de cultu Dei, de bonis moribus, de diſciplina domeſtica, de omni pietatis officio præceptiones continens, adhuc in manibus ſtudioſorum verſatur.*

307. ELEAZAR.

ELEAZAR *Oniæ alter filius, Simonis frater, ſummus ſacerdos, ab Antiocho Entheo rege Syriæ, multa accipit incommoda: ſed à Ptolemæo Philadelpho eximiè colitur, qui ſupra centena Iudæorum millia ſuis redimens impenſis, libertate donauit. Rogatus ab eodem, non à rege Herode, vt Iuſtinus Martyr: vt doctos ſibi interpretes mitteret, qui libros ſacros in linguam Græcam transferrēt: regi, tam præclarè merito*

gratificatur, eiq́; viros ſeptuaginta duos, è tribubus duodecim ſelectos mittit, quos rex cupidiſſimus magnificè excipit, & dimittit liberaliſſimè: quorum nomine adhuc in manibus eſt librorum veteris teſtamenti præcipuorum tranſlatio. Eleazar ſedit annos viginti.

308. ANTIOCHVS MAGNVS SYRVS.

ANTIOCHVS *Magnus, Syriæ rex, poſt mortem Alexandri Magni, anno vno & centeſimo, diadema accipit: peſſimus pater prolis ſceleratiſſimæ. eius enim filij fuerunt Seleucus, Antiochus, & Demetrius: quorum temporibus regni Iudaici ſtatus ita commutatus eſt, vt nunquam poſtea in aliquam dignitatem durabilem potuerit reſtitui. Fuerunt tum impij è Iudæis homines, qui Dei æterni ſapientiam ſpernentes, ritus ethnicos ſequerentur, & ad abolendum Dei cultum, regum externorum amicitias & auxilia quærerent: peſtes videlicet religionis & patriæ. Regnauit Magnus annos triginta ſeptem, vt Appianus: qui cùm templa quædam ſpoliare noctu aggrederetur, incolarum concurſu, cum militibus ſuis omnibus, in ſacrilegio interimitur, Strabone & Iuſtino hiſtorico teſtibus.*

SELEV-

309. SELEVCVS PHILOPATOR SYRVS.

SELEVCVS *Syriæ rex, Antiochi Magni primus filius, cognomento Philopator, primum Iudæis amicus, ad ſacrificia & ad templum impenſas de ſuo ærario ſuppeditauit: poſtea à Simone proditore eò impellitur, vt ad rapiendos templi theſauros, quæſtorem ſuum cum poteſtate ablegaret: quod facinus & quæſtori peſſimè ceſſit, quia manu diuina pulſatus eſt: & regi ipſi inutile fuit, quia paulò pòſt ab Heliodoro quodam purpurato ſuo (vt Appianus ſcribit) oppreſſus aſtu, vitam cum morte cõmutauit, anno regni ſui duodecimo.*

310. HELIODORVS.

HELIODORVS *quæſtor Syrius, in vrbem ſacram agmine ſtipatus militari venit, vt theſauros templi, & pecuniam ibidem depoſitam auferret: ſed à Deo ſcelerum vindice terretur, ſpectro mirabili. Viſus enim eſt eques armatus, prioribus in eum pedibus inſilire, iuxta quem bini ſatellites robuſti, & veſte inſigni ſplendidi, flagris continentibus eum ad terram ſtrauerunt, vt lectica è templo efferretur, ſemianimi ſimilis. Hunc Onias ſuis precibus & ſacrificio*

crificio ſeruauit, nequa doli aut fraudis ſuſpicio regi ſuboriretur. Monitus ab iiſdem iuuenibus eſt, qui illum verbere mulcarant, vt gloriam Dei paſſim prædicaret: id Heliodorus votis nuncupatis fecit, & quæ ſibi contigerant, regis inimicis eſt imprecatus.

311. ONIAS SACERDOS.

ONIAS *ſacerdos, Simonis Iuſti primus filius, Oniæ nepos cognomento Pius: tanta gratia, propter pietatem fuit, vt apud ſuos eſſet venerabilis: tanta dignitate, propter humanitatem, vt exteri quoque eum colerent. Regis Seleuci fauorem & patrocinium petit neceſſitate, vt inuidiæ & calumniis quaſi viam intercluderet, in ea aula, in qua ſola regnaret pecunia. Heliodoro raptori, ſpoliaturo templum, reſiſtit: Iaſonem fratrem ſuum, iniqua molientem, obiurgat: Simonem proditorem, & Menelaum furem repræhendit: propter eam libertatem, ad necem expetitus, ad aſylum confugit: à quo Simonis & Menelai fratrum inſtinctu euocatur, & ab Andronico contra fidem datam, miſerè interficitur: vir ſuorum temporum ſolus incorruptus, ſolus fidus & templo & patriæ.*

SIMON

312. SIMON PRODITOR.

SImon *Beniamites, templi theſaurarius, Oniæ viri optimi, qui licentiam quæ vellet perpetrandi, ei non concederet, aſper & atrox æmulus: ſecreta omnia Seleuco enunciat, et templum opulentiſſimum, quantum in ſe erat, ſpoliandum tradit: eſtq́; nec ſurdo locutus, neque ſegnem extimulauit ad rapinam. Miſſo enim quæſtore ſuo, theſauros rex mandat aſportandos, & de Simonis ſtudio atq; ope, ſuum quæſtorem edocet. Cùm autem raptor miraculoſè eſſet de cælo verberatus, proditor ille Oniæ fallacia & præſtigijs, id eueniſſe calumniabatur, virumq́; ſanctum, vt inſidiatorem & magum regi traducebat: nullo facto notus memorabili, niſi flagicijs & mendacio. In tumultu publico Ieroſolymis oppetijt.*

313. ANTIOCHVS EPIPHANES SYRVS.

ANtiochvs *Magni ſecundus filius, dictus Epiphanes, (alij nobilem, alij illuſtrem vertunt) Syriæ rex: quo nullum vnquam prodigium inuſitatius, nullum monſtrum fœdius fuit*

fuit, vnde Epimanen illum de moribus multi vocarunt. Vrbe per dolum capta, intra triduum octoginta hominum millia perimit, quadraginta ligat, totidem vendit: de templo auri argentiq́; talenta mille & octoginta aufert, eoq́; ſtatuam Iouis Olympij erigit. Animaduertens Iudæos religionis ſuæ conſtantes & liberos defenſores, legis & prophetarum volumina cremat: qui eadem legerent, vita punit: qui ethnica ſacrificia detrectarent, ſupplicio afficit, parcens nulli ætati aut ſexui: nomen Dei euellere è cordibus, cultum eius tollere ex oculis conabatur. In vrbe vexanda Menelao pontifici, Phrygem quendam Philippum, hoc eſt, pantheræ tigridem adiungit. Ex Aegypto rediens, re malè geſta, minatus eſt, ſe vrbem facturum commune totius gentis ſepulchrum: ſed in itinere excuſſus ab auriga, morbo fœdiſſimo affligitur: ita vt vermes è putrefacti corpore ereptarent, & carnes oſſibus defluerent, tanto fœtore, vt ferre eum nemo ſeruus vellet. Simulatam agens pœnitentiam, multa Iudæis incredibilia promittit: ſed tanto cruciatu animi atque corporis conſumitur, vt nihil cogitari aut optari poſſet ærumnoſius. Extra patriam in agro moritur, & Antiocheam defertur. Regnauit annos duodecim, quem vt effigiem Antichriſti, extremam mundi ætatem perdituri, propheta Daniel proponit.

314. IASON SACERDOS.

IASON, *antea dictus Ioſua, Simonis alter filius, Oniæ frater, & nomen & religionem mutauit, homo teterrimus: fratrem Oniam interfectum non dolet, pontificatum eius, ab Antiocho pecunia emit, vtq; regi gratum faceret, lege Dei abrogata, ritus Græcos inſtituit, theatrum ſub arce facit, ludos per vrbem varios exhibet, ad ſpectacula ſacerdotes minis compellit, ciuium Ieroſolymitanorum nomen in Antiochenum mutat. Regis Syriæ præfectum Apollonium, Mneſthei filium, in vrbem facibus lucentibus, & cantu Pæanico introducit. Cùm legatus eius Menelaus, precio maiore ſacerdotium emiſſet, ipſe metu ad Ammonitas fugit. Morte Antiochi nunciata, manum prædonum colligens, vrbem ſacram ciuium ſtudio ingreſſus, cædem crudelem factionis aduerſariæ committit, & Menelaum in arcem fugat. Rurſus eiectus, & omnibus hominibus infenſus, neque in Arabia, neque in Aegypto ſedem reperit. Ex Aſia excluſus & fugiens, Lacedæmonem ſe confert, in qua vrbe egens & contemptus viuit, & animi duplicis pœnas duabus orbis partibus expendit: exul cœli, onus terrarum.*

MENE-

315. MENELAVS SACERDOS.

MENELAVS, *nomine vero Onias, frater Iaſonis, ſecundum Ioſephum: Simonis proditoris, ſecundum Iaſonem. Impietatem fratris in ritibus Græcorum imitatur, rapacitatem eius longiſſimè ſuperat. Miſſus ab eodem, ad numerandum Antiocho tributum, ſubdolè ſacerdotij nomen & honorem in ſe transfert, additis ad reditus regis priores, trecentis argenti talentis annuis. In vrbem rediens, populum exactionibus & rapinis, per Soſtratum quæſtorem ſpoliat, cumq; argentum regi promiſſum, neq; hoc modo ſoluere valeret, templum depeculari incipit: vaſa aurea partim Andronico regis vicario donat, partim Tyrijs vendit mercatoribus. Fratre ſuo Simone, & quæſtore Soſtrato cæſis, ipſe per honeſtos homines de ſacrilegio accuſatur: ſed Ptolemæum aulicum muneribus corrumpit, efficitq;, vt de ijs qui ipſum accuſauerant, Tyri publicè pœna ſumeretur: quorum virorum tanta fuit dignitas, vt Tyrij eos honorificè ſepelirent. Itaq; Menelaus ab Antiocho ſuæ ſedi & honori reſtituitur, ſed paulò pòſt ab Antiochi filij præfecto, Berrhœam vocatus, nouo ſupplicij genere, in harenam præcipitatur, & inſepultus perit. Sedit annos duodecim.*

ANDRO-

316. ANDRONICVS.

ANDRONICO *regis Antiochi procuratori, dulce nihil præter precium erat: qui curruptus Menelai ſacerdotis pecunia, regis ſui commoda poſthabet, & alienæ tyrannidis executor, Oniam virum ſanctum, præter fas & iuſiurandum, ſua manu interficit. Igitur propter cædem ab omni populo vna voce accuſatur, tanta vehementia, vt ipſe Antiochus Oniæ mortuo lacrimas funderet, & Andronicum byſſo ac ornamentis nudatum, per contumeliam agi circum vicos, in veſte vili & lacera mandaret, & eodem in loco iugulari, in quo ipſe virum integerrimum & omnibus gratum interfecerat.*

317. LYSIMACHVS.

LYSIMACHVS *Simonis proditoris, & Menelai ſacrilegi frater, vtroq; nequior: ab hoc relictus templi procurator, rapinis vrbem ſacrariumq́; exhaurit, vt fratrem redimeret: qui in aulam regis erat vocatus, vt de non ſolutione argenti promiſſi, diceret ſententiam. Orto in vrbe tumultu, ad defenſionem ſui tria hominum millia confeſtim armat. plebs omni ferramento militari ſpoliata, pulverem, ligna, cæmenta, & quicquid aliud ira ſubminiſtrabat, in hoſtes conijcit, ſociosq́; eius non paucos aut*

Q ſternit

ſternit aut vulnerat, reliquos in fugam vertit, & tandem ipſum Lyſimachum iuxta ærarium obtruncat.

318. MILLE MARTYRES.

Metu *perſecutionis Antiochenæ, mille viri in ſpeluncam quandam fugerunt: quos milites regij cùm obſiderent, & eis bellum ſabbatho facerent, ipſi ob religionem diei, neque os ſpeluncæ obſtruxeruntneq; vllum lapidem in hoſtes mittere ſuſtinuerunt. Itaq; non reſiſtentes miſerrimè occiduntur, vel (vt Ioſephus tradit) fumo ſuffocantur, cum vxoribus atq; liberis.*

319. ELEAZAR MARTYR.

Eleazar *doctor legis, canicie, ſapientia, meritis, grauitate hoſtibus etiam ſuſpiciendus, ætate nonagenarius: edere carnes ſuillas iuſſus, noluit: in os ſibi ingeſtas, expuendo reiecit. Rogatus vt alias carnes appoſitas ſumeret, tanquam illis illegitimis veſceretur: mori potius, quàm exemplo offendere iuuenes, aut ijs ad impietatem dux atq; auctor eſſe voluit. Deum igitur omnia inſpectantem veritus, ſuam ſenectutem*

ctutem ornauit fidei confeſſione, et veritatis conſtantia: quam in eo, quaſi pertinaciam & inſaniam, ridentes carnifices, duris eum plagis ceciderunt: quos ille cruciatus animo æquo pertulit, legemq; Dei, quam tota vita & docuerat & coluerat rigidè, iam in morte, ſuo ſanguine quaſi obſignauit.

320. MATRES ET INFANTES MARTYRES.

ACCVSATAE ſunt mulieres binæ, quòd ſecundum Dei præſcriptum, filios ſuos circumcidiſſent: quæ cùm in publicum productæ, ſine terrore id faterentur, infantes occiſi, & de matrum vberibus ſuſpenſi ſunt, fœminæq; ſanctiſſimæ ludibrij cauſa, per vrbem circumductæ, de muro in foſſam præcipitantur. Matrum quidem & infantum nomina tyrannus aboleuit, ſed aureis in cœlo literis annotata ſunt, & in Dei conſpectu viuunt cum lætitia.

321. FRATRES SEPTEM MARTYRES.

SEPTEM fratres, Eleazaris doctoris & Solomonidis (vt exiſtimat Suidas) filij, ab

Antiocho ad carnes ſuillas manducandas cogebantur: quas metu legis attingere aut guſtare nullo modo voluerunt. Cæſi flagris & taureis, alacres perſiſtunt: vexati tormentis, fortes in propoſito manent. Quamobrem acerbioribus eos rex pœnis tentat aggredi, vt ipſos, ſi fieri poſſet, ad ſuam ſententiam traheret: & atrocitate ſuppliciorum reliquos pios deterreret. Igitur alteri poſt alterum lingua exſcinditur, & cute cranium nudatur, & membra extrema amputantur, & in ſartaginem feruentem immittuntur, & (vt ſcribunt Victorinus & Theophilus) multis alijs tormentis ſubijciuntur: animo fortiores pœnis, fide ardentiores ignibus. Itaq; corpora ipſorum carpi, conſtantia ab ijs adimi non potuit: tortores fatigati, ipſi expugnati non ſunt, vt vel vnum verbulum triſte aut humile ederent: matre ipſos identidem ſtimulante, vt cruciatus generoſè ferrent, & impauidè morerentur, & vitam in cœlis meliorem expectarent: quæ ſublatis tot chariſſimis filijs, poſt ipſos eadem fiducia & animoſitate moritur, & triumphans de tyranno ac morte, ad ſedes beatorum cœleſtes filijs ſeptem comitantibus transfertur: omnium matronarum ſummum miraculum; quæ cœlo tot liberos peperit, & filio Dei ſingulos & vniuerſos vna luce & pari agone conſecrauit.

322. MATTHATIAS.

MATTHA-

MATTHATIAS *Iohannis filius, cuius maiores patriam Ieroſolymam, domicilium Modinam habuerunt: in qua vrbe ciuem quendam ſtatuis ſacrificantem, manu ſua transfodit, & legatum regis Apollonium, mandatum impium vrgentem, eodem feruore proſternit, & ad libertatem populares ſuos conuocat, & Antiocho furenti, ex omni nobilitate, ſe primus opponit. Confluentibus ad ipſum Aſſidæis viris robuſtis, & alijs multis, rectè adhuc ſentientibus, aras paſſim euertit, legem Dei ſeruandam docet, infantes circumcidit, Græcos homines ſuperſtitionis autores amouet, & quaſi cornua impijs decutit, & pro Deo eiusq; nomine intrepidè contendit. Morte propinqua, filijs ſuis exempla fidei & liberationis recitat, Simonem propter prudentiam, & Iudam propter fortitudinem, duces poſt ſe relinquit, & mori pro religione & inſtitutis patrijs, rectum eſſe cenſet. Vixit integro ſeculo, ſepelitur Modinæ in patrijs monumentis, tuba belli contra impios.*

323. IOHANNES.

IOHANNES *primus filius Matthatiæ, cognomento Gaddus, propter Bacchidis regij præfecti impreſſionem, à fratre Ionatha, ad Nabathæos in Arabiam mittitur, vt ſarcinas ſuorum militum tuto in loco deponeret: quam rem*

cùm non ſatis cælatam habuiſſet, Iambrij ex vrbe Medaba erumpunt, Iohannem vinctum abducunt & cruciatum interimunt, & prædam Iudæorum multam diuidunt, iniuſta rapina & immanitate non diu fruituri.

324. SIMON.

SIMON *Matthatiæ ſecundus filius, cognomine Thaſſius, in Galilæam legatus mittitur, cum tribus militum millibus, hoſteſq; Ptolemaidem vſq; inſequitur. Iudæ fratri adiumento eſt, ad victoriam contra Nicanorem: pro ciuium obſeſſorum ſalute, pugnat feliciter contra Bacchidem. Fratre interfecto dux factus, in loca deſerta metu ſe confert, & vim Bacchidis traiecto Iordane euadit. Altero quoq; fratre Ionatha, per dolum ſublato, ſtrenuam ſuo populo operam nauat, initaq; cum Demetrio pace, arcem Ieroſolymæ capit, eamq; purgat, iura vrbi & templo reddit, Iohannem filium ducem facit, vrbes in finibus Iudææ munit, & optatam multorum annorum pacem reducit. Spartani & Romani fœdera cum eo ſponte renouant. Inuictus armis, ſimulatione capitur, perit proditione. nam ad conuiuium inuitatus, ſpecie amiciciæ, ab Hierichuntis præfecto, genero ſuo, cum vxore, filijs duobus, inter epularum & poculorum læticiam, nefariè obtruncatur, cùm nec propinquitati,*

nec

nec dignitati, nec ſacerdotio parceret latro teterrimus, inaudita homicidiorum graſſatione.

325. IVDAS.

IVDAS *Matthatiæ tertius filius, alio nomine Maccabæus: robore leoni, armis giganti, impetu flammæ graſſanti fuit comparatus: maximus enim animo, & celerrimus conſilio, & expeditiſſimus robore extitit. Suſcepta legis diuinæ, et populi afflicti defenſione, ſemper ad orandum prius, quàm ad præliandum accedit. Cum regibus Syriæ Antiocho & Demetrio, item cum eorum legatis, prælia facit ſecunda. Apollonium cedit, Seronem vincit, Gorgiam fugat, Lyſiæ copias fundit, Timotheum ter repellit, Nicanori deniq; reſiſtit. Præterea contra Idumæos, Ammonitas, Galaaditas, Galilæos, Arabes, Philiſtinos bella grauia gerit. Vrbes item nobiles Ephronem, Samariam, Hebronem, alias item plurimas populatur. Hoſtes ſæpe multos delet, ne vno quidem milite ſuo aut amiſſo, aut vulnerato. Templum Ieroſolymitanum purgat, ſtatuam inde Iouis eijcit, alias abominationes tollit: anno ſecundo, menſe ſexto, poſtquàm captum fuerat. Tot rebus intra annos paucos cum laude geſtis, fœdus cum Macedonibus & Romanis init. Vocatus à Nicanore ad colloquium, inſidias*

ſentit & declinat: cum Bacchide prælio congreſſus, magis fatigatus, quàm victus eſt, & deſertus à ſuo milite, ſtationem ipſe non deſerens, oppetit fortiſſimè. A Simone & Ionatha fratribus Modinam defertur, ad maiorum monumenta: vir nulli veterum aut gloria aut felicitate inferior.

326. ELEAZAR.

ELEAZAR, *cognomento Abaron, Matthatiæ quartus filius, pro ſua gente & ipſe nullum detrectauit periculum. primùm prælio interfuit contra Nicanorem, Patrocli filium, & in eo ordines honeſtos duxit: mox in prælio contra Eupatorem, vitam pro nihilo habuit. nam beſtiam inter elephantos præclaram videns, non ſolùm inſtrato & ornatu regio, verumetiam magnitudine eminentiorem, ſuſpicatus ea regem ipſum vehi, aditum ſibi per cuneos hoſtiles ferro aperit, ſeſeq; belluæ ſubijciens, eam transfodit, & oppreſſus mole, in conſpectu duorum exercituum vitam ponit cum admiratione.*

327. IONATHAS.

IONATHAS *quintus & vltimus Matthatiæ filius, cognomento Apphus, poſt collapſum in ſua gente regnum, vir omnium honoratiſſimus.*

tiſſimus. Contra Galaaditas à Iuda fratre miſſus, octo millia hoſtium vincit, vrbes aliquot expugnat, mares in ijs omnes interficit. Poſt Iudæ obitum dux electus, valde diminutis Iudæorum viribus, populi reliquias colligit, & inter Iordanem ac lacum Aſpharem caſtra figit. Bacchides die ſabbatho, in ipſum irruens, mille ſuorum occiſis, pedem refert, nec procul abfuit, quin manu Ionathæ interficeretur. Iambrios, qui Iohannem fratrem eius oppreſſerant, ſtratagemate vlciſcitur: inſidiatores à Bacchide immiſſos quinquaginta occidit. Cum rege Syriæ Alexandro init amiciciam, Ioppen expugnat, Azotum capit armis, Aſcalonem deditione, Accaronem munere. Cultus eſt ab Alexandro rege & Demetrio, item à Spartanis & Romanis. A Romanis confirmatur illi dignitas ſacerdotalis: à Demetrio byſſum & inſignia regia accipit, applaudente omni populo. Rurſus à Demetrio deceptus, & demum à Tryphone circumuentus, interficitur, cum duobus filijs: quorum oſſa Simon Modinam transfert ad ſepulchrum patrium, ad quod ſeptẽ tam excelſas pyramides erexit, vt mari Syriaco nauigantibus proſpectum longè præberent.

328. ASSIDAEI.

ASSIDAEI *ex omnibus Iſraëlitis viri optimi & fortiſſimi, Matthatiæ ſe adiunxerunt*

runt contra tyrannum Antiochum, & cum filio eius Iuda prælijs multis, pro patria geſtis ſalutariter, interfuerunt. Cum Alcimo ſacerdote, de quo mali nihil propter dignitatem in Eccleſia ſuſpicabantur, pacem ineunt: qui violato iureiurando, ex eorum numero viros ſexaginta præcipuos interficit: reliqui quaſi flore ex ipſis iam deciduo, ad laudis inchoatæ maturitatem non peruenerunt.

329. APOLLONIVS.

APOLLONIVS *Thraſeæ filius, dux Samariæ, Antiochi legatus, vir crudeliſſimus, in Iudæam mittitur cum viginti hominum millibus, ea conditione, vt omnem ſexum maſculum deleret, puellas & matres venderet. Simulata fraudulenter amicitia ſacræ vrbis portas ingreditur, & per omnes vicos atq; domos cædibus graſſatur. Auditis Iudæ facinoribus, magnas Samaritanorum & Græcorum copias ad eum reprimendum contrahit: cuius impreſſionem Iudas non expectans, cohortibus expeditis in aciem prodit, datoq; pugnæ ſigno, hoſtes trepidantes fugat, palantes interimit. Cæſo in acie Apollonio baltheus & enſis detrahitur, quo Iudas poſtea gloriæ cauſa, in omnibus prælijs vſus eſt.*

330. SERO.

SERO

SERO *dux inferioris Syriæ, famæ comparandæ gratia, et ipſe exercitum contra Iudam educit, ſibiq; ſtultè ante tubam, pollicetur victoriam: cui Iudas occurrit maiore fiducia, quàm viribus: cuius miles cùm eſſet fame confectus, & multitudinem hoſtium trepidaret, pugnam detrectabat: quem ipſe extimulans, Deo agit facillimum, vel exiguis vel magnis copijs vincere, deq; eo vno ſemper bonum ſucceſſum expectandum eſſe. Miles ſermone ſui ducis, quaſi veterno excuſſo, credit, prœliatur, triumphat. Deſiderati è Syris ſunt octingenti, Sero cum infamia fugit, exercitus eius per Palæſtinam diſpergitur.*

331. LYSIAS.

LYSIAS *propinquus regis Antiochi, & filij eius (vt ait Appianus) educator & tutor, bella Iudaica adminiſtrauit, initio per legatos Ptolemæum, Nicanorem, & Gorgiam, qui hominum millia octo amiſerunt, diuerſis locis & prœlijs: deinde per ſcipſum, qui octoginta millia peditum, magnum numerum equitum, & camelos octoginta in Iudæam duxit: de cuius exercitu cæſa ſunt peditum millia vndecim, equites mille & ſexcenti. Viſus in eo conflictu eſt eques amictu candidato, & armis aureis Iudæ aciem antecedere. Tot cladibus ſapientior factus Lyſias, cum Iudæis qua poteſt ratione*

pacem

pacem facit. Audita regis ſui morte, filium eius Antiochum, cognomento Eupatorem, regem creat, Menelaum ſacerdotem impium, ſuisq; & exteris hominibus malè fidum, curat necari. Tandem cum rege adoleſcente ipſe proditur, & interficitur à militibus.

332. NICANOR PATROCLI F.

NICANOR *Patrocli filius, Ptolemæi præfecti Phœniciæ & Cœleſyriæ legatus, regi Antiocho, cum viginti millibus militum auxilio venit. Is magna temeritate, Iudæos mercatoribus externis vendidit, antequàm eos vt mancipia teneret. Contra eum agmine quadripertito Iudas mouens, nouem hoſtium millia ſternit, captos mutilat, fugientes vulnerat, & omni mercatorum, qui in caſtra ſpe prædæ venerant, auro potitur. Nicanor ſeruili habitu ad mare veniens, ſcapha euadit, & Antiocheæ cum ignominia vitam tranſigit. Iudas ſpolia hoſtium partim in ſuos milites, partim in egenos diſtribuit, partim gloriæ cauſa ad amicos mittit.*

333. GORGIAS.

GORGIAS *Idumæorum dux, Antiochis duobus Epiphani & Eupatori, patri atq;*

atq; filio militauit, longoq; tempore copias barbaras ad exſcindendam Iudæam aluit. A Iuda aliquoties impeditus, & duobus iuſtis prælijs ſuperatus, vrbium perfugia quæſiuit, & latrocinia exercuit. Unum facinus geſſit præclarum, contra Ioſephum & Azariam, vrbis ſacræ præfectos: quos inconſultò arma ſumentes, in fugam conijcit, & duo millia virorum lectiſſimorum in fuga opprimit.

334. DOSITHEVS.

DOSITHEVS *Bacenoris miles, peritia equitandi, & robore corporis famoſus, Gorgiam ducem fortiter pugnantem, in prælio capit: quem cùm viuum perducere ad Iudam contenderet, chlamydemq; eius validè teneret: eques quidam Thrax, imploratus à Gorgia, ei ſubuenit, qui humerum & brachium Doſitheo amputans, ab exitio præſenti, ducẽ ſuum liberat.*

335. CALLISTHENES.

CALLISTHENES *tribunus regius, mercedis gratia omnia faciens, ſacræ vrbis portas ſua manu incenderat: quem vt latêre in vrbe, poſt fugatum Nicanorem, Iudæ fratres intellexerunt: omni ſtudio mandant inquirendum,*

dum, neue elabi poſſet, loca vrbis omnia cuſtodiunt, & ædiculam, in qua deprehenſus erat, cum ipſo ſuccendunt, & dignam pro maleficio mercedem ei referunt.

336. IOSEPHVS.

IOSEPHVS *virtutis ſpectatæ iuuenis, addito ſibi collega Azaria, vrbis præfectus declaratur à Iuda, cum edicto, ne extra mœnia cum præſidio exirent, aut vllo cum hoſte confligerent. Crebris rumoribus & nuncijs de ſucceſſibus Iudæ quotidie perlatis, Ioſephus quoq; aliquid facere memorabile voluit. Itaq; iuuenum audaciſſimorum manu aſſumpta, ad vrbem Iamniam occupandam contendit, & duo ſociorum millia amittit, quos interfecit Gorgias. Paulò poſt, Iudæ fratribus contra Nicanorem, magis auſpicatam nauat operam: iterumq; dux electus cum Zachæo, Idumæos impugnat, & prius acceptam à Gorgia cladem, noua gloria compenſat.*

337. SACERDOTES MILITES.

IVDAE *pugnanti quacunq; impreſſionem faceret, hoſtes cedere, diuino quodam terrore cogebantur: cùm ille interea paucos, aut rarò vnum ſuorum militum deſideraret, inſigni miraculo.*

culo. Hoc animaduertentes nonnulli ſacerdotes, appetentes laudis, ſed non obſeruantes ſui muneris, etiam agere præclarè ſtuduerunt: quorum tamen manus, non ad arma, ſed ad ſacrificia vngi Deus præceperat. Quamobrem auidè ſeſe prælio committentes, graues ſtulticiæ pœnas luunt, aliosq; ſuis exemplis docent, Deum ſolere non per omnes homines, dare ſalutem & felicitatem vel reipublicæ vel Eccleſiæ: ſed per eos, quorum id muneri conuenit, aut quos ipſe peculiariter euocauit.

338. DOSITHEVS ET SOSIPATER.

DOSITHEVS *& Soſipater, legati Iudæ, cùm à Caſpinis (quorum vrbs munitiſſima à gentibus promiſcuis habitabatur) conuicijs proſcinderentur: muros hoſtiles impetu adeunt, clauſtra refringunt, & tantã cædem edunt, vt lacus vicinus, duo ſtadia latus, ſanguine decolor fieret. Compotes facti voti ſui, præſidiũ quoddam Timothei Gennæi expugnant, et amplius decem virorum millia obtruncant: captum Timotheum magna imprudẽtia incolumem dimittunt.*

339. TIMOTHEVS GENNAEVS.

TIMO-

TImotheus *Gennæus, facto cum Lyſia fœdere, per fratrem ſuum Apollonium latrocinia, & per Nicanorem Cypri præfectum piraticam exercuit: poſtea peditum centum & viginti millia, equitum duo millia & quingentos contraxit: ſed cognito Iudæ aduentu, tantus terror eius copijs inijcitur, vt mutuis conciderent vulneribus: è quorum numero triginta quoq; millia Iudas occidit: & eadem celeritate in præſidijs alia viginti quinq; millia deleuit. Captus à Doſitheo & Soſipatro, pactionibus inſidioſis eos eludit, viuenſq; & fallens elabitur.*

340. ANTIOCHVS EVPATOR SYRVS.

ANtiochus *Eupator, Epiphanis filius, regno à Lyſia & Philippo tutoribus accepto, bellum Iudæis infert, tantis viribus, quantis antehac Græcorum nemo fecerat. nam præter multitudinem peditum equitumq;, currus falcatos, & elephantos adduxit. Iudas prima velitatione viros ſexcentos ſternit, ſaluo omni ſuo milite. Lyſias terrore perculſus, cùm Antiochus commeatu careret: & clade non magna admonitus, cùm Iudæorum felicitatem non neſciret: regi conſulit, vt de pace conditiones ferantur: eas Iudæi cupidè accipiunt, & regem*

intra

intra mœnia intromittunt, qui violato ſacramento, ne rebellio timenda eſſet, mœnia arcis diruit. Paulò pòſt bellum de integro reparans, à iuda iterum ſuperatur, et ad pacem renouandam compellitur. Philippum tutorem domi rebellem, capta Antiochea expugnat: ſed mox capitur à militibus, & interficitur ab agnato Demetrio, anno regni ſui ſecundo.

341. PHILIPPVS.

PHILIPPVS *è Phrygia oriundus, cum rege Epiphane educatus eſt, factusq́; vrbis ſacræ præfectus, ſæuicia vtitur belluina, ipſo tyranno immanior. Sacerdotes interficit, matres excruciat, infantes iugulat, viros pios ſabbathum in ſpelunca agentes, flammis vſtulat. Cum rege ſuo profectus in Perſiam eſt: cui rex in via ægrotans, filium commendat, eiq́; diadema, trabeam, & annulum committit: regis filio factus rebellis vincitur, & in Aegyptum fugit, & vita demum ſpoliatur: ferens dignum crudelitatis & periurij præmium.*

342. PTOLEMAEVS MACRON AEGYPTIVS.

PTOLEMAEVS *Macron Aegypti rex, amiciſſimo in Iudæos animo, commodis ipſorum ſtuduit, ſiqua ratione turbatam & exhauſtam prouinciam, poſſet in ſtatum quietiorem reſtituere. Accuſatur proditionis & perfidiæ, primùm quòd Cyprum deſeruiſſet, creditam ſibi à Philometore: deinde quòd ab Antiocho, cuius hoſpitio & beneficijs erat vſus, etiam defeciſſet: eius contumeliæ inſolens, venenum præ mœrore haurit, & curæ pro Iudæis ſuſceptæ ſatisfacere non potuit.*

343. PTOLEMAEVS PHOENICIAE PRAEFECTVS.

PTOLEMAEVS *præfectus Phœniciæ, paraſitus regius, omnibus ſtudijs id egit, vt ad gentilitatem Iudæos traduceret, & eos Græcorum ritus edoceret, adiuuante ipſum, ſophiſta quodam, ſene Antiocheno. In templi ſacrario ſtatuam Iouis ponit, intra parietes ſternit puluinaria, in porticibus templi, ſacra Veneris, in vrbe Bacchi Orgia celebrat. Decretum præterea ab Antiocho impetrat, vt nemo ſe Iudæum profiteretur, aut legis ſtudioſum oſtenderet. nam qui ſecus facerent, eos omni tormentorum genere de vita ſuſtulit.*

SCYTHO-

344. SCYTHOPOLITANI.

SCYTHOPOLITANI, *qui patrio nomine Bethſurani, coloni eorum, qui Dianam Scythicam fugerant: temporibus periculoſiſſimis, nulli calamitoſo aut exuli negarunt hoſpitium, multo fauore & liberalitate Iudæos proſequuti: in quorum vrbem Iudas veniens, gratias ciuibus agit, & in poſterum vt fidi manerent nomini Iudaico, cum prædicatione meritorum, quæ & alijs, & ſibi ſignificauerant, humaniter adhortatur. Situs loci index ingeniorum fuit, nam campeſtris & maritima regio, erat cultoribus iniqua, & cœli inclementia, & frigorum aſperitate, & culturæ difficultate.*

345. NABATHAEI.

NABATHAEI *Arabum vicini, amici populi Dei homines, audita conſpiratione gentium contra Iudæos, fratres Iudam & Ionatham adeunt, eisq́; verſuta hoſtium cogitata exponunt. Poſt Iudam interfectum, cùm à Bacchide omnibus ex partibus gens Iudæa premeretur, hortatu Ionathæ ad Nabathæos Iohannes frater eius ſe conferre, & ibi quicquid haberent precioſum, ſtatuit deponere: ſed interceptus in via vir optimus, in hoſtium poteſtatẽ venit, & ſociorum*

fortunas omnes amittit: qua clade æquè dolore afficiuntur Nabathæi, ac ſi ipſi æquali fuiſſent in periculo.

346. DEMETRIVS SOTER SYRVS.

DEMETRIVS *Seleuci filius, obſes Romæ, aufugit, conductoq; milite Tyrio, regnum patris repetit, Antiochum regem ſuum patruelem, non (vt Appianus) conſobrinum per milites interficit: factus Iudæis inimicus, Alcimum proditorem in vrbem mittit, & per Nicanorem ac Bacchidem, præter omnem modum ſæuit. Nicanore interempto, Bacchidem ſummæ rei præficit: cuius ductu Iudæa ferè tota ſubigitur, & Iudas dux præſtantiſſimus ſupplantatur & perit. Ab Alexandro regnum Syriæ ſibi vendicante impugnatus, ſocietatem cum Ionatha inire voluit, eumq; promiſſis & largitionib. pœnè infinitis ſollicitauit: ſed Iudæi memores eius ſæuiciæ & infidelitatis, cum hoſte ipſius Alexandro ſe coniungunt, qui Demetrium victum & regno & vita ſpoliauit. nam in palude vliginoſa & profunda cum equo hæſitantem, milites telis & miſſilibus obruunt. Regnauit annos vndecim.*

BACCHI-

347. BACCHIDES.

BACCHIDES *regis Demetrij legatus, artium bellicarum callentiſſimus: Ieroſolymam veniens, Iudæos quoſdam in puteum præcipitat, & Iudæ amicos inquiſitos, ſupplicijs exquiſitis necat. Cum Ionatha pugnans, parum abfuit, quin interficeretur. Vrbes præcipuas munit, & metu defectionis, obſides à nobilitate poſtulat. Alcimo ſacerdote defuncto, quo hortatore vtebatur, in Syriam redit, rurſusq; ab apoſtatis Iudæis euocatur, qui perdendi Ionathæ ſpem ipſi fecerant: quem cùm neq; capere ſecurum, neq; expugnare armatum poſſet, auctores eius conſilij iugulat: fœdus cum Ionatha facit, captiuos reſtituit, neq; ſe in Iudæam reuerſurum, iureiurando pollicetur.*

348. ALCIMVS SACERDOS.

ALCIMVS, *dictus antea Ioachimus, nefarius apoſtata & proditor, ſacerdotium emit, & populum ſuum perdit, quouis improbo deterior, quouis furioſo amentior. Iudam & fratres eius primus accuſat. Aſſidæos eorum ſocios ſpecie iuriſiurandi circumuenit & perdit: Nicanorem blaſphemum in patriam adducit: Bacchidem*

dem crudelem omnibus opibus iuuat: manus ſuas rapina, furtis, cæde non minus, quàm præfecti regij, polluit: murum atrij templi interioris, prophetarum opus, demolitur. Percuſſus manu Dei, morbo ferali mutus iacuit, & cruciatus incredibiles ſenſit. Animam exhalat perfidam & fœdam, anno ſacerdotij ſui quarto: vrbs ſine ſacerdote fuit annos ſeptem, vt Hegeſippus.

349. NICANOR LEGATVS DEMETRII.

NICANOR *Demetrij in Romana cuſtodia ſocius, & mox in bello legatus, ad gentem Iudæorum extirpandam cum alijs coniurat: initiò non armis agens, vt alij fecerant: ſed inſidijs, quibus etiam Iudam pœnè fefelliſſet. Cùm eius verſutia cælari diutius non poſſet, violentia agere incipit: amiſſis in cõflictu viris quingentis, rabie incenditur. Admiſſus in vrbem, aut Iudam tradi poſtulat, aut excidium templo minitatur. Sacerdotes quidam & ſenatores impij, pro ſalute regis victimas offerentes, ab eo irridentur. Prælio cum Iuda commiſſo, quinq; millia de eius exercitu cadunt, ipſe inter cadauera exanimis inuenitur: cui & lingua præfecta eſt, & caput, humeri, brachium, et dextera amputata, & publicè*

ſuſpenſa

ſuſpenſa ſunt, Dies feſtus ob facti memoriam inſtituitur, tertius decimus menſis Martij.

350. ALEXANDER SYRVS.

ALEXANDER *ſortis extremæ homo, regnum Syriæ, tanquam paternum repetit, & totius ferè Orientis viribus, bellum Demetrio facit, eumq́; Ionathæ auxilio ſuperat: Ionatha ſacerdote creato, ei trabeam & coronam auream mittit. Alexander ducta Cleopatra, regis Aegyptij filia, Ionatham ad nuptias inuitat, quem contra accuſatores atq; inuidos plurimos, regia auctoritate defendit. Poſt tantã felicitatẽ, ocio & libidini deditus, primùm à ſocero, tum ab Antiochenis deſeritur. nam ad Demetrium hoſtem eius, Ptolemæus filiam, & Antiocheni ſigna militaria tranſtulerunt: cùm videlicet ſupplicium ſolueret Demetrio, quem occiderat: & Antiocho, cuius mentitus originem fuerat. Repudiatus à ſocero, proditus à ciuibus, interfectus ab hoſpite, ludibrio habitus poſt mortem, pœnas magnorum facinorum meritas luit, anno regni quinto.*

351. PTOLEMAEVS PHILOMETOR AEGYPTIVS.

PTOLEMAEVS *Philometor, Aegypti rex, Alexandri ſocer, conſilia init, quibus generum exueret regno & potentia. igitur filiam ab eo abductam, Demetrio deſpondet, & Antiocheam veniens, regem Aegypti atq; Aſiæ ſe nominat. Rumore tali percepto Alexander è Cilicia properat, victusq́, prælio, & in Arabiam fugiens, à Zabdiële hoſpite, de vita tollitur. Poſt obitum generi, paulò pòſt Ptolemæus quoq; interficitur, eiusq; præſidia ex vrbibus, quas ceperat, eijciuntur. Huius temporibus Onias ſacerdos templum in Aegypto, ſimile Ieroſolymitano condidit, perperam ad ſuum inſtitutum contorto prophetæ Iſaiæ vaticinio.*

352. DEMETRIVS NICATOR SYRVS.

DEMETRIVS *Nicator, Demetrij Soteris filius, Syriæ rex, auxilio Laſthenis Cretenſis, Alexandrum opibus alienis nimium ſuperbientem regno eijcit: vrbes à Ptolemæo occupatas ad officium reducit. Ionatham ducem Iudæorum, omnibus quibus poteſt adiumentis, ornat, & cum inter amicos intimos numerat, & præſidia quædam ex vrbibus, præſertim Ieroſolymitana, educit, & aduerſarijs eius aures non præbet.*

præbet. Conſpirantibus Antiochenis, vt regem opprimerent, vnius Ionathæ beneficio, qui tantùm tria millia Iudæorum ſecum adduxerat, conſeruatur. Interficiuntur enim à Iudæis centum & viginti ciuium millia, Antiochea inceditur & ſpoliatur. Rex maximorum beneficiorum immemor, ictum cum Ionatha fœdus turpiter violat, & magnis Iudæos afficit incommodis. A Phrahate Partho captus, à Tryphone Apamienſe dignitate exutus, ab vxore Cleopatra veneno extinctus eſt, anno regni ſui tertio.

353. APOLLONIVS DEMETRII LEGATVS.

APOLLONIVS *Cœleſyriæ præfectus, Demetrium reſtituere cupiens, Ionatham Alexandri ſocium, ſuperbè prouocat: cuius importunitate exacerbatus Ionathas, Ioppen expugnat: quam ipſe rurſus obſidens, non modò nihil laude dignum gerit, verumetiam vrbes plures amittit. Intercludens Ionatham, à Simone fratre eius in fugam compellitur: equites Apollonij Azotum venientes, Dagonis delubrum intrant: ſed vrbs atq; templum à Iudæis incenduntur. Occiſi & cremati ſunt octo virorum millia, cadauera & oſſa eorum, iuxta viam publicam, in vnum aceruum coniecta.*

354. ANTIOCHVS ENTHEVS SYRVS.

ANTIOCHVS *Entheus, quaſi diuinus, Alexandri filius, Syriæ rex, educatus in aula regis Arabis, ad recuperandam ſedem paternam, à Tryphone animatur. Capta Antiochea, & elephantis regijs, beneficio Tryphonis, in ſedem patriam euehitur, miſſiſq; muneribus ad Ionatham & Simonem, amiciciam cum ambobus init, datiſq; honoribus amplis, eos ſibi ſocietate deuincit. A' Tryphone tutore & legato ſuo per ſcelus interficitur, anno regni quarto, ætatis decimo, corruptis (vt inquit Florus) medicis, qui adoleſcentem calculi dolore conſumi, ad populum mentiti, dum ſecant illum, occiderunt.*

355. TRYPHO SYRVS.

TRYPHO *Apamienſis, natus Caſiano caſtello, vt Strabo, alio nomine Diodotus, aulicus Alexandri & regum priorum ſeruus, vt Appianus. Hic populi animis à Demetrio alienatis, vt tutor Antiochi filij eius conſtitueretur, laborat, ſeq; ad regem Arabem conferens, adoleſcentem alumnum abducit. Pupillo ſuo malè*

cogitans,

cogitans, & Ionatham tamen valde metuens, quod apertè non audebat, id moliebatur inſidijs. Ionatham ipſum illectum fraude capit, & filios eius duos obſides accipit: ſed homo perfidiſſimus & patrem, & filios de vita tollit, & iam metu vacuus, pupillum quoq; interficit, ſibiq; regni diadema imponit: ſemper ſimilis ſui, blanda loquens, ſcelerata perpetrans: nulli fidus, niſi ſuæ vtilitatis gratia. Mutata fortuna dum in patriam fugeret, in itinere opprimitur, anno regni ſui tertio.

356. ANTIOCHVS PIVS SYRVS.

ANTIOCHVS *Demetrij Nicatoris filius, à Syris Sedetes, à Græcis Soter, à Iudæis Pius cognominatus, regnum patris recuperat, quod Alexander, Antiochus, Trypho iniuſtè & fraudulenter tenuerant: cum Iudæis fœdus inijt, eosq; cæteris regibus humanius tractauit. Tryphonem in vrbe Dora, centum & viginti millibus peditum, octo equitum obſedit: qui cum per maris portam ſcapha effugiens, Orthoſiadem ſe contuliſſet: Simon Antiocho ſelecta auxilia mittit: ſed rex fortuna ebrius, ea contemnit, et amicciæ Iudæorum renunciat, eisq; per Athenobium legatum innumera mala infert, & quicquid honoris cauſſa antea conceſſerat, impudenter repetit. Victus à Parthis ipſe ſibi manus infert, anno regni*

regni ſui nono, pœnas ſuperbiæ & leuitatis expendens Deo & hominibus.

357. IOHANNES HYRCANVS.

IOHANNES *Simonis primus filius, Mattbatiæ nepos, propter indolem præſtantem, dux paterni exercitus, princeps eximius & ſobrius, Hyrcanus cognominatus, propter victoriam ex ea gente partam. Impugnante Iudæam Antiocho per Cendebæum præfectum, ipſe & Iudas, patris conſilio iam ætate confecti, prælium fortiſſimè ineunt: in quo Cendebæus fugatur, Iudas vulneratur: præſidia & vrbes, in quas Syri fugientes ſe contulerant, incenduntur: parentibus ſuis & fratribus per fraudem occiſis, ſicarios ſibi quoq; immiſſos, depræhendit & trucidat. Populo præeſt annos triginta & vnum ſub actis Idumæis, & deleta Samaria. Clarus tribus rebus maximis fuit, principatu gentis, dignitate ſacerdotij, & ſpiritu prophetiæ. Sacerdotium ante ipſum tenuit Ionathas patruus, & Simon pater: filiorum impietatem & tyrannidem præuidit.*

358. MATER HYRCANI.

HYRCA-

HYRCANI *mater, Simonis coniunx, fœmina nobiliſſima, decepta à genero ſuo homine nefario, fit mulierum miſerrima. Maritum exutum armis truncari, filios in vino vinciri videt: ipſa quoq; reſeruata ad pœnas & ludibrium. Cùm filius eius Hyrcanus, qui fuerat elapſus ſolus, Ptolemæi parricidæ præſidium oppugnaret, ipſa cum filijs hoſti in muro opponitur, vt nullum immitti telum ſine iniuria eius poſſet. Tulit flagra, contumelias, nuditatem animo inuicto, & Hyrcanum filium de mœnibus admonebat, ne matri parceret, dum patrem vindicaret: ſed filius matris & germanorum ſpectaculo miſerabili fractus, oppugnationem intermittit: nam animos ei minuebat reuerentia; pietas iracundiam coërcebat. Itaque ne patris cædem vindicans, matrem præcipitari, fratres iaculis confodi cerneret, luctu obrutus, à Dagone caſtello militem reducit. Ptolemæus ſocrum excruciatam: & adoleſcentes affines interficit, & ad tyrannum Philadelphiæ Zenonem fuga ſe recipit.*

359. IVDAS.

IVDAS *Simonis alter filius, fortiſſimi viri, patrui ſui appellatione honeſtatus, pro fratre Hyrcano militat et tyrocinium facit contra Antiochum Grypum, in flore ætatis & ſummæ vir-*

tutis expectatione, ab affine Ptolemæo, vita in conuiuio priuatur indigniſſimè.

360. MATTHATIAS.

MATTHATIAS *Simonis natu minimus filius, hoc nomine dictus, vt virtutis auitæ admoneretur. A patre Dei cultum & pietatem, à fratre artem militarem diſcere cœperat: ſed in conatu gloriæ, & curriculo honorum à ſuæ ſororis marito, nihil mali ſuſpicans, in vino et ferculis oppreſſus immaniter interficitur, adoleſcens florentiſſimus.*

361. ANTIOCHVS GRYPVS SYRVS.

ANTIOCHVS *Demetrij filius, propter naſi magnitudinem (vt ait Iuſtinus) cognomen Grypi habuit, dictus alio nomine Philometor, educandus Athenas miſſus eſt. Succeſſerat Antiocho Sedeti homo Aegyptius Zebina, nominatus Alexander: Zebinæ Demetrius, Sedetis frater. Hoc interempto filius Grypus, matris callidæ artibus, rex euehitur. Cum Zebina Hyrcanus amiciciam coluit, Demetrius eidem bellum facturus, eijcitur à popularibus, quod bellum Grypus renouans, à Iuda Simonis filio admodum*

admodum adoleſcente ſuperatur. Anno regni ſui decimo moritur, & venenum quod mater illi parauerat, ipſam haurire compellit.

362. ANTIOCHVS ASPONDIVS SYRVS.

ANTIOCHVS *Antiochi Sedetis filius, quòd educatus Cizyci eſſet, vocatus Cizycenus: quòd nullum fœdus ſanctum haberet, Aſpondius: Grypi frater vterinus è Cleopatra, hæc enim Antiocho Sedeti & Demetrio, fratribus duobus nupta fuit. Exercuerunt inter ſe Grypus & Cizycenus ex inceſtu nati, diſcordias parricidiales, quibus ad ſui populi commodum Hyrcanus vſus, nec tributa amplius ſoluenda ſtatuit, nec arma coniungenda. Ipſi odijs armiſq; dimicantes cauſa extiterunt, vt regnum Syriæ ad Armenios transferretur. Cizycenus à Seleuco Grypi fratris filio occiditur, Seleucus in Ciliciam fugiens, vrbe Mopſubeſtia in ſuo palatio, vt Ioſephus: in gymnaſio, vt Appianus, crematur per tumultum popularem. Syriæ regnum à Pompeio Magno redigitur in Romani imperij prouinciam.*

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER NONVS.

Gentium Eccleſiæ aduerſantium.

363. GIGANTES.

GIGANTES *multitudo ferox, nomine celebri & magna potentia fuit, nata in perniciem Eccleſiæ, inimica diſciplinæ. Cùm enim liberi amplius parentes non audirent, conſecuta matrimoniorum confuſio eſt, & conſortio improbitatis violata integritas. Nam adoleſcentes parentum piorum ſedibus relictis, filias impiorum laſciuè educatas duxerunt vxores: inde procreata ſoboles inſolens & ſuperba, quæ patriam pietatem iactaret, nihil conſentaneum pietati ageret, ſuæ tantùm libidini, cum oppreſſione contradicentium, obſequeretur. In Poëtarum libris Gigantum turba fingitur eſſe multiceps, & centimana, & pedibus ſerpentinis, & bellum cœlitibus inferens. factioſa enim & violenta fuit,*

fuit, & ex diabolo ortum habens, odioq́; Dei flagrans, veram Eccleſiam euertere & delere conſtituit. Ideo propria nitentes virtute, Deo fuerunt execrabiles: & quamuis de terra ſublata ipſorum ſit omnis poſteritas, tamen ſuperſtes manſit, infinita turba, prauitatis ſimilis imitatrix.

364. SODOMAEI.

SODOMAEI *qui à ſcriptoribus recentibus, cum ſocijs vrbibus Pentapolitani dicuntur, ſolum terrarum optimum, amœniſſimum, & omni copia vberrimum coluerunt: doctorem nacti ſunt Lothum, liberatorem Abrahamum: quos tamen nec conciones, nec pœna, nec beneficia mouerunt, vt faſtum, luxum, ebrietatem & voluptates tetras fugerent. eorum enim vrbs omnis turpitudinis officina, ſcelerumq́; & facinorum aſylum euaſit. Vt autem in ſaturitate & otio vixerunt profuſè & molliter: ita erga pauperes inhumani, immites erga hoſpites fuerunt: inprimis doctori ſuo moleſti, cuius animam iuſtam, iniuſtè factis quotidie cruciabant, domum etiam libidinis cauſa obſidebant, quam ne effringerent, tota illa vrbis colluuies cæcitate dementatur, & inde miraculo abſtrahitur. Altero poſt illum furorem die, vrbs Sodoma, cum vicinis tribus vrbibus, igne & ſulphure de cœlo funditus*

conſumitur : quinta propter Lothum ſeruatur, qui pro ea precatus fuerat. In agro olim feraciſſimo, nunc lacus Aſphaltites eſt : & (vt Tacitus ac Hegeſippus, oculati teſtes, ſcribunt) vim frugiferam terra perdidit, & arborum fructus vuarumq́; racemi tactu in cinerem vaneſcunt : iræ Dei, dum Sol iſte cœlo lucebit, perpetuum monumentum.

365. SICHEMITAE.

SICHEMITAE *homines leues & verſipelles, & regi ſuo præter ius faſq́; obſequentes, cum eodem intereunt. Regis filius Sichemus filiam hoſpitis violat: pater Emor audaciæ & libidini adoleſcentis indulget: populus in gratiam regis, ſuam religionem abijcit, nouam arripit, neutram intelligit. Itaq; patris indulgentis facilitas, filij proterui petulantia, populi ſtultè aſſentientis fatuitas, graui exemplo puniuntur. Virginis enim ſtupratæ fratres germani, occaſione captata tertiæ diei, qua in circumciſis vulnerum dolor eſt acerrimus, in vrbem armati irruunt, regem & filium occîdunt, ciues internecione tollunt, tecta agrosq́; occupant, turbam imbellem in ſeruitutem trahunt. Flagitio vnius adoleſcentis regnum euertitur, & ſtulticia principis in ciuium capita & perniciem redundat. Temporibus poſterioribus Abimelechum tyrannum & fratricidam*

tricidam adiuuant & defendunt, & mox ab eodem cùm ſolita temeritate diſcederent, pœnas ſceleris & perfidiæ ingentes graueſq; ſubeunt. Execratur vir Sapiens in ſuis concionibus, Samaritanos, Philiſtinos, & Sichemitas, deſignans hypocritas, tyrannos, & inſanam multitudinem, in omnibus hominum ordinibus monſtra deteſtanda.

366. CHAMI NEPOTES ET POSTERI.

CHAMVS *filius Noæ, é diluuio liberatus, Dei & patris fit contemptor: filium habuit natu minimum Chananem, qui patris quidem maledictionem ſuſtinuit, ſed eam ſecuritate & pertinacia nihili planè fecit. Ab huius filijs regio Chananæorum ampla, cis & vltra Iordanem fuit poſſeſſa, terra omnium terrarum princeps & fertiliſſima: frugibus, metallis, pecoribus abundans, lacteq; & melle fluens. Comparauerant autem ſibi illuſtre imperium, & diuitias copioſas: ſed donis diuinis petulanter & perditè abuſi, afflixerunt ſanctos Dei viros, qui inter eos vixerunt hoſpites & aduenæ. Quare ſcelerum ipſorum menſura quaſi completa, extirpati à Deo ſunt populi iſti, Amorrhæi, Phereſæi, Chananæi, Hethæi, Gergeſæi, Euæi, Iebuſæi: eorumq; regna*

& poſſeſſiones iuxta promiſſum & mandatum Dei, in Iſraëlitas, Semi & Abrahami poſteros, diuiduntur: & terram impiorum tandem ſemen iuſtorum hæreditatem accipit. In qua terra Ieſus Chriſtus Dei filius, poſt aliquot ſecula, natus è virgine, & populo ſuo, & gentibus omnibus, quam latè orbis eſt habitabilis, ſalutem dedit, & vitam æternam atq; beatam peperit.

367. AMORRHAEI.

AMORRHAEI *ab Amorrhe, quarto (vt ferunt) Chananis filio, Chami nepote oriundi: gens feroci ſſima, & ſeruitutis inſolens. Inter eos habitauit Abrahamus, & Mambris viri boni ac benefici vſus hoſpitio eſt. Amorrhæorum reges duos Seonem & Oggum vicit Moſes: alios quinq; fugauit, & de arboribus ſuſpendit Ioſua. Amborum victoria cæleſtis magis, quàm humana fuit. Moſis enim tempore, ad terrorē & fugam Deus èis immiſit genus quoddam crabronum aſperum, vt ſine arcu & gladio caderent. Ioſuæ verò, exercitum eorum palantem, grandine & ſaxis de cœlo proſtrauit, vtq; deleri poſſet, nō mouente ſe ſole, ex vno die quaſi duos fecit. Inter Amorrhæos habitauerunt Gigantes, cognominati Raphaim, qui curribus ferreis præliabantur, & quorum duces lectis ferreis cubabant. Dicti autem cùm eſſent, & initiò habiti,*

biti, quaſi medici & ſeruatores, nomen illud præclarum, fecerunt inuiſum tyrannide, & potentia atq; virum maximarum abuſu.

368. PHERESAEI.

PHERESAEI, *qui & vocati Samaritæ, agriculturæ & quæſtui dediti, & inter gentes Chananæas valde opulenti fuerunt. Tyrannum eorum immaniſſimum, Bezegum Magnum, qui regibus ſeptuaginta manuū pedumq; pollices abſciderat, & ſub menſa ſua fecerat canum more reliquias ciborum colligere, expugnarunt tribus Iudæ & Simeonis. Ipſe cùm amiſſo prælio ſalutem fuga quæreret, viuens in manus hoſtiles incidit, et membris truncatis, eodem ſupplicio afficitur, quo alios, ſummæ dignitatis homines, antea crudeliter deformauerat. Tum in triumpho Ieroſolymam deductus, rectè ſibi pœnam talionis à Deo illatam confeſſus eſt, & in eadem vrbe vitam cum morte commutauit.*

369. CHANANAEI.

CHANANAEI *à Chanane, filio Chami geniti, nominis atq; nobilitatis inter ſuos gentiles præcipui ſemper extitere: meliorē etiam & abundantiorem terræ portionem tenuere: vndè factum eſt, vt ex negotiationibus & quæſtu,*

cæteris fuerint ampliores, & quia copiam ſequitur inſolentia, moribus quoq; & ſtudijs deteriores. In ipſorum patrem Dei maledictio nominatim expreſſa, & ſeueriſſima fuit. Eorum regem Aradum ſuperauit Moſes, Iabinum cum regibus ſocijs deleuit Ioſua, Iabinum alterum euertit mulier Delbora. Tandem è copijs maximis ad paupertatem, & ex imperio potente in ſeruitutem redacti ſunt. Inter eos vixerunt Gigantes, qui reliquo populo, aut penitus extincto, aut facto tributario, in vrbes Philiſtinorum maritimas ſunt diſperſi. Quamuis autem nomen regionis Chananææ finibus certis terminatum ſit, tamen pro omnibus iſtis populis, quos ira Dei ſuſtulit, & ſedes eorum Eccleſiæ tradidit, paſſim vſurpabatur, vt vindicta paterni ludibrij, & veritas iuſticiæ diuinæ, omnium mortalium & oculis & mentibus magis eſſet expoſita.

370. HETHAEI.

H ETHAEI *ab Hetho Chananis filio, loca montana coluerunt, & Chebronem gentis metropolim, ſibi domicilium condiderunt: vicinis moleſti & formidabiles. Ioſua dux regibus illorum occiſis, ciuitatibus incenſis, armis curribusq; crematis, pecoribus mutilatis, patriam ipſorum & finitimas nationes perdidit, omnemq; ſexum & ordinem interfecit. Inter ipſos fuiſſe perhiben*

perhibentur ſedes Gigantum, qui Enachim dicti ſunt, quaſi torquati. nam diuitiarum oſtentatione erant ſuperbi, & oppreſſione aliorum præferoces: vaſtitate, vinolentia, libidine, amentia, poëtarum Centauris haud diſſimiles.

371. GERGESAEI.

GERGESAEI *á Gergeſe quinto Chananis filio, iij aut internecione ſublati ſunt cum populis propinquis, aut cum iis capti ſeruierunt ſeruitutem. Eorum reliquiæ fuerunt Gergeſeni, qui Gadareni lacus contra Galilæam, erant accolæ, in quorum agrum cùm Chriſtus veniſſet, legionem dæmonum á furioſo quodam eiecit, & in gregem porcorum migrare permiſit. Porci cùm ſeſe impetu præcipites in lacum dediſſent, & eſſent ſuffocati circiter duo millia: tota ciuitas obuiàm effuſa Chriſto, eum rogauit, vt ex ipſorum finibus quamprimùm excederet: maiore dolore affecti beſtiarum detrimento atq; interitu, quàm perfuſi lætitia Chriſti domini & ſeruatoris beneficio & aduentu.*

372. HEVAEI.

HEVAEI *ab Heuo ſexto Chananis filio, montium Libani & Chermonis accolæ, gentibus cæteris aut in deditionem acceptis, aut*

ferro ſuperatis, Ioſuæ diu reſtiterunt, nec in alienam poteſtatem redacti vniuerſi ſunt, vt reſtaret multitudo, quæ Iſraëlitas à verbo Dei deſciſcentes, & patrum ſuorum ſancta ſtudia, & pios mores negligentes, exercerent & plecterent. Inter Heuæos famoſi fuerunt Gigantes, Niphlim nominati, quaſi graſſatores, homines videlicet iniqui & factioſi, hoſtes religionis, aduerſarij pudoris, inimici diſciplinæ, in ſuos atq; alienos iniurij.

373. IEBVSAEI.

IEBVSAEI *à Iebuſo tertio Chananis filio, Gibbonem & Ieroſolymam tenuerunt, viri ſtrenui & bellaces. nam vndiq; armis hoſtilibus circumuallati, vſq; ad Dauidis tempora, & vrbem Ieroſolymam (ita enim poſteriore tempore dicta fuit) & arcem Sionis tutati ſunt. Ad vrbem cùm Dauid rex acceſſiſſet, per mœnia & propugnacula cæcos, claudos, & mutilos diſpoſuerunt, quaſi per eos arceri copiæ regiæ poſſent. Eam ignominiam non ferens Dauid, vrbem obſidet & capit, et arcem munitiſſimam per Ioabum expugnat, inſtauratamq; de Dauidis nomine appellat. Inter Iebuſæos fuere nobiles Gigantes, appellati Emim, quaſi terribiles, qui feri & agreſtes, & voluptatibus dediti, & omnis placidæ ſocietatis habiti ſunt euerſores.*

MIDIA-

374. MIDIANITAE.

MIDIANITAE *Abrahami ex Cetura poſteri, populus nobilis, ſed quòd Iſraëlitas ad libidinem & defectionem, per ludibria & lenocinia induxerat, à Deo euerti iuſſus eſt. Profugus ex Aegypto Moſes apud Midianitas exulauit, & Ietronis ſacerdotis duxit filiam, mulierem importunam. Pinehas in hac gente Suri principis filiam, cognomento Cosbiam, in adulterio deprehenſam haſta transfigit. Gentem Midianitarum bellicoſam, clade immenſa ſuperans Gideon, quatuor eorum duces interficit: vndè vulgi ſermone, cùm alicui malum imprecarentur, iactatum fuit, Fiat illis ſicut Midianitis.*

375. CINAE.I.

CINAEI *à Midianitis oriundi, dicti à Cinæo, Ietronis ſacerdotis filio. is vt populo per deſertũ eunti ductor eſſet, à Moſe affine perſuadetur, victisq; gentibus Chananæis, inter Amalechitas ſedem obtinet. Cinæorum perpetuò in Iſraëlitas magna extiterunt merita: Moſis temporibus (vt dixi) iter populo monſtrarunt per deſertum: Delboræ temporibus, præclaro facinore Iabelidis, inauditam acquiſierunt victoriam: Sauli temporibus, adiuuerunt Dauidem exulem, qui ipſis è præda Amalechitarum etiam*

munera tranſmiſit. Tulerunt ſuæ pietatis fructus eximios. nam Saulo Amalechitas expugnante, nulla illis infertur iniuria: ſed quia fuerant miſericordes, receperunt miſericordiam. Tandem cum regno Iſraëlitico ab Aſſyrijs victi, in alienas prouincias diſperguntur, & pœnam diſtractionis familiarum acerbam ferunt.

376. MOABITAE.

MOABITAE *à Moabo Lothi filio, Iſraëlitis (quibus ex Aegypto euntibus, viam & hoſpitia intercludunt) ſine intermiſſione inimici, in cauſa fuerunt, vt duodecim principes ſuſpenderentur, quos ad vetita & libidinoſa ſacrificia illexerant. Bello eos vicit Seon rex Amorrhæorum, armis domuit Balacus rex Ammonitarum. Regem eorum Eglonem in conclaui traijcit Ehudus: Meſam rebellem ſubegerunt Ioramus & Ioſaphatus. Tributa ipſi penderunt Dauidi & Achabo: regem Iudæ Ioam interfecit Iozabadus, genitus matre Moabitide. Ex gente hac fuit Ruth, auia Dauidis: & parentes exulis Dauidis, à rege Moabitarum hoſpitio ſunt excepti. Gigãtes cognominati Emim receptum in hoc populo habuerunt. Erant Moabitæ diuitijs inſolentes, libidinibus molles, factis crudeles: ex ijs ſiqui in populum Dei admiſſi ſunt, aditus templi vſq; in decimam progeniem negabatur. Quia con*

tra

tra Dominum gloriati ſunt, deſierunt eſſe populus: & qui in prælijs non oppetierant, aut perierant clade alia, ſunt à leonibus aut alijs feris conſumpti.

377. AMMONITAE.

AMMONITAE *ab Ammone Lothi filio, & ipſi hoſtes infenſiſſimi Iſraëlitarum, quibus errantibus, viam & tranſitum: feſſis, aquam & panem non conceſſerunt. Vatem Bileamum aduerſus eos pecunia conducit rex Baracus. Iſraëlitis ſupplicibus oculos dexteros vult eruere Naas: legatos Dauidis tondendo dehoneſtat Annon: in bellis non horruerunt prægnantes diſſecare, & infantes elidere. Prælijs frequentibus vincuntur à Iephtha, Saulo, Dauide, Ioſaphato: nunquam laceſſiti, ſemper cum calamitate repulſi. Coluerunt non ſecus ac Moabitæ, Chamöem & Molechum, hoc eſt, Saturnum & Iouem tyrannum, vt nonnulli exponunt, ijsq; filios, viſcera ſua, per ignem, ſupra vrbium mœnia immolarunt. Templo ſacrisq;, eorum proſelytis interdictum fuit, itidem vt Moabitis, vſque ad generationem decimam, quia inimici religionis de eius abolitione ſuperbè exilierunt. Inter Ammonitas æſtimati ſunt Gigantes, quos lingua vernacula Zamzumim nuncuparunt, quaſi audaces turpium flagiciorum patratores. Timotheus dux Ammonitarum Maccabæorum temporibus,*

poribus, cum alijs gentibus ad Iudæos extirpandos coniurauit.

378. IDVMAEI.

IDVMAEI *poſteri Eſaui, qui & Edomitæ, gens mobilis, inſidioſa, inſolens. Tranſitum negat Iſraëlitis fratribus ſuis, ſolum paternum repetentibus. De Idumæorum terra, ne pedis quidem veſtigium Deus voluit dare Iſraëlitis, quia eam Eſauo in poſſeſſionem confirmauerat: ideo libertatem retinuerunt, vltra annos ſexcentos, & reges multos fortes habuerunt. Verùm cùm & contra Deum ore loquerentur, & malis aliorum inſultarent, per Dauidem eos puniјt, qui ferro omnem ſtirpem maſculam extinguit, & eorum regionem in præfecturas diſtribuit. Idumæis ad populum Dei tranſgreſſis, ad tertiam vſq; ſobolem, acceſſus ad templum Dei non patuit. Idumæi fuerunt Adadus de regio ſanguine, qui contra Solomonem tumultum excitauit: Doëgus aulicus Sauli, qui ſacerdotes Nobenſes transfixit iniuſtè & cupidè: Gorgias Antiochi præfectus, qui totam Iudæam vexauit: Herodes tetrarcha, qui infantes in Bethlehema in gremiјs matrum ſuſtulit. Idumæi Aſſyriјs templi cremandi dederunt conſilium, idq; ſuis manibus incenderunt: iјdem Romanæ obſidionis tempore intra mœnia à Simone introducti, extremam vaſtitatem*

tem intulerunt. Vt ipſi gauiſi odio pertinace & ſuperbia maxima ſunt aliorum euerſione, ita de ipſorum clade & ſolitudine, orbis vniuerſus lætatus eſt. Religionem habuerunt pro ludibrio & ioco: eam enim modò probarunt, modò reiecerunt, ſeruientes tempori, & gratificantes victoribus. Interitus igitur Eccleſiæ, omni tempore ab Idumæis, hoc eſt, hypocritis eſt profectus.

379. HORRAEI.

HORRAEI *montis Seiris incolæ, inter Idumæos habitarunt: regionem eorum, relicta fratri Chananæa, Eſauus occupauit. Iſraëlitis ex Aegypto euntibus ſoli præbuerunt iter, & cibum vendiderunt pecunia. Reges Horræorum fuerunt olim nobiles: inter quos Adadus vicit Midianitas: Ex ijs Iobus Deo charus, fide ac patientia inſigni, homo ſpectatiſſimus.*

380. AMALECHITAE.

AMALECHITAE *incolæ deſertorum Arabiæ iuxta montem Orebum, nepotes Eſaui, è prima vxore Adare. Hi malè tractarunt Iſraëlitas exules, & rerum omnium egenos. nam cùm per regionem eorum iter facerent, extremos agminis carpſerunt, et ægrotos feſſosq; in vijs, ferro ſuſtulerunt, primiq; ſunt bello eos adorti.*

adorti. Moſes non armis pugnando, ſed precibus ſanctis orando eos deijcit, & mandatum à Deo accipit, vt talem iniuriam inſcribat faſtis & monumentis, vt de tota gente, excidio & internecione, ſumeretur olim ſupplicium. Ea victoria regi Saulo reſeruata, qui quoniam ſtirpitus Amalechitas non excîdit, ipſe regno excidit. Agagum regem eorum Samuel fruſtillatim dilaniat. Tribus tandem Simeonis totam illam gentem, & quicquid de ea fuit reliquum, armis deleuit: nêquis minas Dei diceret irritas, quas memoriæ mandari ad vindictam ſeuerè præceperat.

381. PHILISTINI.

PHILISTINI *ſunt Chami nepotes, ex eius filio ſecundo nomine Meſraimo: populus peculiariter nomini diuino, & eius cultoribus infeſtus. Loca terræ Chananææ iuxta Iordanem et loca maritima coluerunt, et quinq; regias poſſiderunt ciuitates. Deus eorum Dagon, qui Græcis & Romanis Triton eſt: pubetenus homo, parte inferiore piſcis. Studia Philiſtinorum memorantur duo præcipua, negotiationes & auguria. Pugnarunt contra filios Heli, & regem Saulum, ſignis felicibus: primo prælio arca Domini potiti ſunt, quam coguntur reddere pœna hominibus atq; agris more inuſitato illata: altero prælio, Sauli & trium filiorum eius, ludificantur*

cantur poſt victoriam cadauera. Superati ſæpe ſunt, ſed nunquam ſine miraculo, à Samgaro, Simſone, Samuele: item à Ionatha, Dauide, Semma, Eleazare, Maccabæis. Inter eos ſummo in honore fuerunt Gigantes: è quibus Goliadus omnium ſuperbiſſimus, & eadem patria nati Raphæi viri robuſtiſſimi quatuor, quos Dauid, duceſq; eius non ſine diuino auxilio expugnarunt. Apud veteres Theologos nomine Allophylorum, Philiſtini præcipuè intelliguntur.

382. CEILENSES.

CEILENSES *incurſione Philiſtinorũ frumenta in agris condita amittunt, quibus opem laturus Dauid, à ſocijs ſuis prohibetur: ſed motus caſu miſerorum, Philiſtinos inuadit, fundit, ſpoliat. Ceilenſes beneficij immemores, quorum vrbem Saulus obſidere volebat, de prodendo hoſpite ſuo Dauide deliberant: quorum ipſe cognita perfidia ſiluarum latebras, & præſidia ſolitudinis petit, & callida hominum ingratorum eludit conſilia.*

383. ZIPHAEI.

ZIPHAEI *locorum deſertorum, non procul à monte Carmelo, accolæ, gratiam quærentes aulicam, Dauidis proditores fiunt, cumq;*

eumq; fidentem ſilua & collibus inacceſſis, in ſua verſari vicinia, Saulo nunciant, & in eo compræhendendo ſtudium & operam vltrò offerunt. In maiore periculo Dauid nunquam antea fuerat: nunquam hoſtem Saulum in manibus propius habuerat, cui tamen pietate ſolita pepercit. Adiutore autem Deo lætatus de inimicis eſt: ſed eius aduerſarij perpetua notantur ignominia, Saulus iniuſticiæ, Ziphæi proditionis.

384. SIDONII.

SIDONII, *á Sidone filio Chanani, Tyriorum vicini, ſtudijs rei nauticæ & negotiationibus intenti, veram Dei ſcientiam amittunt, & vacantes lucro atq; opibus, dare religioni operam faſtidiunt. Mancipia Iudaica ementes á Syrijs, ea porrò Græcis vendiderunt, aurumq; & argentum nationũ aliarum vſuris ſunt prædati. Ea de cauſa Ieremias & Iohel prophetæ, eos aiunt viciſſim iri venundatum Aethiopibus, & domi morituros cæde ac peſtilentia. Chriſtum docentem Tyrij & Sidonij ſecuti ſunt, vt eſt apud Marcum.*

385. TYRII.

TYRII *inter Syrios, maximè nobiles & opulenti, quorum ciuitas tribui Aſeris finitima,*

tima, expugnari à Iudæis non potuerũt: vixerunt longo tempore felices & inexpugnabiles. Cum Philiſtinis arma ſocia iungentes, fulminibus & tempeſtatibus de cœlo ſternuntur: orante pro populo propheta Samuele. Cum regibus Dauide & Solomone fœdus & ſocietatem coluerunt, & naues vnà miſerunt in Inſulas auriferas. Cùm diffluerent luxuria, propter diuitias & copiam, & cùm quæſtuoſam in omnibus gentibus mercaturam facerent, euerſionem & interitum Iſaias & Amos prophetæ illis prædicunt: quæ mala Nebucadnezaris Aſſyrij, & Alexandri Macedonis temporibus ſenſerunt cum extrema pernicie. In Tyriorum & Sidoniorum finibus Chriſtum eſſe concionatum, Euangeliſtæ tres memoriæ prodiderunt.

386. SAMARITANI.

SAMARITANI *ab Efraimo Ioſephi filio ſunt oriundi, & ab Amrio rege Iſraëlis ſexto, cæteris prælati, ſede regia in vrbe ipſorum collocata. A cultu veri Dei deſciſcentes, contemptui habentur, donec deleretur ipſorum nomen & gloria. Obſeſſi primùm ſunt à Benhadada Syro, qui eos ita preſſit, vt cibo fœdo & liberorum proprijs viſceribus veſcerentur. Iterum à*

Salmanaſſare Aſſyrio, per totum triennium, qui omnem illam gentem in ſeruitutem abduxit: poſtremò à Iohanne Hyrcano, qui poſt vnius anni ſpacium, ex captæ & incenſæ vrbis ædificijs ac mœnibus aceruum ſaxorum congeſſit. Prophetas, qui eas calamitates ipſis nunciabant, ſubſannati ſunt. Inter Iudæos & Samaritanos, capitalis ſemper fuit diſſenſio, & ſuis diſcipulis interdicit Chriſtus, ne ingrediantur Samariam, & nomen Samaritani, tanquam abominabile conuicium, Chriſto obijcitur. Eorum doctores poſtea fuerunt Petrus & Iohannes Apoſtoli.

387. AEGYPTII.

AEGYPTII *magis quàm omnes gentes ſuperſticioſi, beſtias & ſerpentes adorarunt, & vilia hortorum coluerunt holuſcula, & alia quædam, dictu etiam fœda, vt ructus & crepitus ſaturorum, vndè à Satyricis apud Romanos agitati ſunt. Hoſpites aliquando fuerunt patriarcharum, & altores populi Iudaici, inſtituti ſunt à Ioſepho, Iacobi filio. Mutatis regum animis, nullum populum magis oderant, quàm Iudaicum, quem ſtirpitus eradicare Buſyris rex infantibus maſculis in Nilum proiectis voluit, eamq; immanitatem annos triginta exercuit: vndè tot plagis & tam horrendis Aegyptij, quot nulli vnquam homines afflicti ſunt, quorum rex*

cum delecta populi multitudine rubri maris vndis obruitur. Seſacus rex cum Rehabeamo bellum geſſit, & templum Ioroſolymitanum ſpoliauit: Nechaus cum Ioſia pugnauit, eumq; vicit: nec non Ioacham filium eius in vinculis tenuit, & filium alterum Ioachimum tributarium fecit. Libri Prophetarum multa Aegyptijs mala minantur, quæ tum demum experti ſunt, cùm in ſeruitutem Aſſyriorum grauem redigerentur. Populus Iudaicus, qui Ieremia diſſuadente in Aegyptum fugerat, ibi miſerrimè quatuor plagis & afflictionibus interijt.

388. BABYLONII.

BABYLONII *fuerunt primi, qui in orbe terrarum regnum poſſederunt: quorum ciuitas antiquiſſima paſſuum octoginta quinque millia ambitu continuit, & mirifica incrementa cepit. Merodachus Babylonius de Manaſſe Iudæ rege triumphum egit, & nepos eius totam eam tribum captiuam abduxit, quæ anno ſeruitutis ſeptuageſimo à Cyro Perſa liberatur. Vita Babyloniorum ita fuit corrupta omnibus delitijs, ſceleribus, libidinibus, vt extremis temporibus Roma Babyloni comparetur à Sibyllis, Iohanne Apoſtolo, & diuo Hieronymo. E Babylone populum Dei exire iubet Iohannes, ne cum ea pereat, & in lacum ſulfureum conijciatur.*

ciatur. Fuit olim Aſſyrij, & Perſici imperij caput, illa maxima Babylon.

389. SYRII.

SYRII *populi circa Iudæam ſunt vndique circumfuſi: nomine antiquo dicti Aramæi, vt eſt apud Strabonem, ab Aramo, Semi filio. Eorum nomine comprahenduntur etiam Leucoſyrij, Cœleſyrij, & Syrophœnices. Populo Dei omnibus temporibus aduerſati ſunt, & eius hoſtes auxilijs iuuerunt. Syriorum regem ſuperbum Chuſanem Othoniel dux, Adadezerem opulentiſſimum rex Dauid, Benhadadam potentiſſimum rex Achabus, Azahelem crudeliſſimum Ioas rex ſuperat. Ipſi viciſſim contra reges Iſraëlis & Iudæ multo ſucceſſu vſi ſunt; Baëſam vicerunt, Achabum occiderunt. Ioramum vulnerarunt, Ochoziam fugarunt, Acham vexarunt, Ioacham ad inopiam redegerunt. Vires demum omnes eorum fregerunt Ioas & Ieroboamus. Syrij capturi Eliſæum, eius occæcantur precibus. Poſt reductum è Babylone populũ, cum Iudæis pugnarunt, non vter ſuperaret, ſed vter eſſet. Nahaman Syrus regis Benhadadæ præfectus, à lepra purgatur, & hoſpes fit Eccleſiæ.*

390. ARABES.

ARA-

ARABES contermini Iudæis, homines, vt Strabo, malefici: feritate barbaris quibuſq; propinqui, vt Hegeſippus: odio infenſa Iudæis manus, vt Tacitus. Sæpe in regionem propinquam excurſiones fecerunt, & exercuerunt latrocinia: præſertim regis Iorami temporibus. Regina Arabum ad Solomonis diſputationes audiendas, Ieroſolymam acceſſit: cum Arabibus Ioſaphatus rex Iudæ amiciciam ſancijt. Ex Arabibus venturos, qui in Chriſtum credant, & ei debitum honorem habeant, Dauid & Iſaias loquuntur. Arabum coloni Nabathæi, filijs Matthatiæ, & Iudæis oppreſſis, præbuerunt hoſpitia, & conſilio affuerunt, tempore triſtiſſimo.

391. ASSYRII.

ASSYRII, à Semi filio Aſſure appellati, quorum metropolis Ninus, ampla trium dierum itinere. Cum Iudæis bella ferè continua geſſerunt, cupiditate ſingularis imperij. A Phulbelocho pacem redimit rex Manahemus, à Tiglatphilaſſare vincitur Peca, à Salmanaſſare abducitur Hoſeas, totaq; gens Iſraëlitica, quæ in perpetua Aſſyriorum ſeruitute manſit. His victorijs non contenti, Iudæ quoq; regnum conantur euertere, nam Ieroſolymam obſedit Sanheribis, tempore Ezechiæ: eandem incendit Nebucadnezar, & regi effodit oculos. Ionas propheta

præfectum ſeu regem Nini, cum omni populo ad pœnitentiam adduxit, paulò antè tempore, quam ad Medos imperium Aſſyriorum eſt tranſlatum.

392. IOPPENSES ET IAMNII.

IOPPENSES & Iamnij, vultus quidem amicos Iudæis oſtentabant, ſed tetra in eos committebant flagitia, inprimis Ioppenſes, ad quarum vrbem cùm nauigia parata Iudæi conſcendiſſent, cum vxoribus & liberis, paulò in altum prouectos, fide publica violata, non pauciores ducentis ſubmergunt. Idem facere Iamnij conſtituerant, ſed illorum crudelitate, horum malicia cognita, Iudas Maccabæus, ad vindictam ſuos exhortatur, nocteq; progreſſus (quo tempore ferè ſua agebant negocia) portus eorum incendit, naues cremat, quoſq; homines ibidem reperit, ferro tollit.

393. IAMBRII.

IAMBRII cum Syris colludentes, Iohannem Iudæ Maccabæi fratrem, capiunt, & ludibrio habitum obtruncant. Cùm è Chananæa ſponſam magni principis, pompa inſigni deducerent, Ionathas frater poſt collem quendam abditus,

ditus, cum ſuis militibus ex inſidijs prorumpit, homines quadringentos intercipit, reliquos in fugam vertit, multo auro & gemmis, magnoq; apparatu, & veſtibus precioſis potitur, & Iambrios eodem dolo, quo ſuum fratrem, & alios eius cognatos oppreſſerant, minimè id ſuſpicantes, vindicat & euertit.

ILLVSTRISSIMI DVCIS AC DOMINI, D. AVGVSTI SAXONIAÈ ELECTORIS FILIO ILLVSTRI

D. AVGVSTO DVCI SAXONIAE LANDGRAVIO TVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,

S. D.

Georgius Fabricius Chemnicenſis.

IN meis Hiſtoriæ ſacræ libellis, quos ante annos quinq; edidi, amici quidam deſiderarunt, quòd poſtrema antiquæ Eccleſiæ tempora, quæ omnia fuerunt miſerrima & triſtiſsima, prætererim: quorum iudicium ſapiens non fui auſus contemnere: ideo vt implerem, quod viri boni vellent, & alijs fortaſſe idem ſentientibus, aliquo modo ſatisfacerem, hunc de regibus Aſmonæis & Idumæis ad ſupe-

riores libellum adiunxi. Cùm autem in his narratiunculis, ſacris Ebræorum libris minus adiuuarer, vt in reliquis maxima ex parte factum eſt: ſcriptores Græcos & Latinos, qui illorum temporum memoriam ad poſteros traduxerunt, ſtudioſè adhibui: non vt oſtentatione, doctrinam cœleſtem teſtibus profanis interpretarer, ſed vt factorum quorundam, aut temporum certitudinem probarem, cùm auctorum peregrinorum fides eſſe videretur idonea: aut ſi minus eſſet probabilis, nec ſatis vera deprehenſa, eandem ſententiam meliore corrigerem. De Theopompo Chio, Iſocratis diſcipulo traditum eſt, ipſum diuinitus fuiſſe punitum, quòd ſacram Moſis hiſtoriam, narrationibus ſuis fabuloſis (μυθολογίας ipſe appellat) interſeruerit: Ea de cauſa, non fabulas colligere ſtatui, ſed ne falſa aut fabuloſa ſacris temere intexerem, volui cauere hominum ſapientiorum auctoritate & iudicijs: perſuaſus animi inductione conſtanti, Eccleſiæ hiſtorias non eſſe tantum expoſitiones rerum magnarum & memorabilium: ſed etiam conciones, exempla, miracula, quæ in luce eſſe, non latêre in tenebris, aut abdita iacêre Deus voluit, ijs præſertim hominibus, qui

ipſum

ipſum ex animo colunt, & fide inuocant, eademq́; proponere mortalium generi ad cognitionem ipſius bonitatis & potentiæ, & ad patientiæ doctrinam, & ad conſolationem animorum, & ad ſpem ſalutis ac vitæ ſempiternæ. Recenſentur quidem in hoc libello boni viri admodum pauci: ſed tetri potius homines, præter faciem, hominum nihil habentes, qui Principes Eccleſiæ cùm eſſent, ipſam lacerarunt: doctrinæ præſides, eandem euerterunt: quos ad perniciem orbis terrarum, ſplendidè vixiſſe, & cum illuſtri poteſtate fuiſſe, dolendum quidem eſt, quòd munere ſuo abuſi contra humanitatem & iuſticiam ſunt: ſed nequaquam ad cognoſcendum indignum aut inutile, quia de illo ſeculo, cuius imaginem quandam noſtrum hoc ſeculum repræſentat, diſcere debemus pietatem, & Dei obſeruantiam: ne iram ipſius nos etiam ſecuritate, contemptu, voluptatibus, ferocia, ſcélere, omni impietatis & libidinis genere irritemus: & eodem tandem modo, vt populus Ebræus, qui iam colere & vereri Deum deſierat, de patria delcamur: ſed vt viuamus dignè & conuenienter profeſsioni ſanctæ, & nomini Chriſtiano, vtq́; fiducia ſincera ac ſtabili expectemus ad-

uentum Chriſti Domini: tunc in carne vi ſi inter homines, mox inter Angelos videndi cum gloria & maieſtate. Extant ex antiquitate, libri his non diſsimiles, virorum quorundam, quorum fama in Eccleſia celebris, & eruditio notiſsima eſt, qui eandem materiam tractarunt, vel explicandis Dei promiſsionibus, vt fecit Proſper Tyro: vel expoſitione hiſtoriæ continua, vt Sulpitius Seuerus: vel exemplis ſingulatim recenſendis, vt Iſidorus Hiſpalenſis: hos ambos è bibliothecis vetuſtis nuper protuli. & non ita pridem, vidi Iohannem Vtinenſem, diligentem virum, ſed non ſatis eruditum, qui ante annos ducentos & viginti quinq; vixit, ſub finem imperij Ludouici IIII. Quorum exemplis nunc confirmo ipſe me, ſperoq; operam meam in ſacris hiſtorijs breuiter explicandis, non fore pijs hominibus ingratam, aut adoleſcentulis incommodam. Hunc librum poſtremum, ſuperiorum ſupplementum, Illuſtris Princeps ac Domine, feliciſsimi nominis tui auſpicio, cum alijs communico, vt cum auctoritate graui & ampla, in ſtudioſorum manibus appareat. Deus æternus ſua benignitate foueat ætatem tuam, conſeruetq; incolumem, ac florentem Reipub. & ita

formet

formet ac regat ſapientia ſpiritus ſui, vt ſis verè, quod appellaris, Auguſtus, vt & noſtri poſteri per te habeant lucem veritatis, & temporum tranquillitatem, ac cætera pacis emolumenta. E' ludo illuſtri Miſenæ Hermundurorum, Cal. Ian. inchoantibus annum

M. D. LXX.

SCRIPTORVM NOMINA QVORVM SVNT TEſtimonia adducta.

Amos propheta
Aſinius
Cedrenus
Cicero
Damaſcenus Iohannes
Damaſcenus Nicolaus
Daniel propheta
Dauid propheta
Dion
Euſebius
Epiphanius
Eutropius
Florus
Hegeſippus
Horatius
Hypſicrates
Ieremias propheta
Ioſephus
Iuſtinus
Iuuenalis
Lucas Euang.
Lucanus
Macrobius
Marcus Euang.
Martianus
Matthæus Euan.
Nicephorus
Oroſius
Ouidius
Paulinus
Perſius
Philo
Plinius
Plutarchus
Porphyrio
Porphyrius
Ruffinus
Solinus
Suidas
Sulpitius
Strabo
Tacitus
Theodoretus
Tertullianus
Zezes
Zonoras.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VIRORVM ILLVSTRIVM SEV HISTORIAE SACRAE LIBER DECIMVS.

Eccleſiæ à regibus Aſmonæis & Idumæis laceratæ.

REGES ASMONAEI.

394. ARISTOBVLVS I. SACERDOS ET REX.

ARISTOBVLVS *Iohannis Hyrcani filius natu maximus, quòd Græcorum conſuetudine plurimùm vteretur, nomen Philellenis accepit. Hunc regnandi cupiditas fecit inſanum, nam vt illuſtrior eſſet auctoritate, primus ex Aſmonæis, non contentus munere religionis, & honore ſacerdotij, apici pontificali tiaram imponit, & cætera regia ornamenta vſurpat, vnctus & inſignitus more maiorum. Samariam rebellem, iuſſu patris, anno toto obſidet. Ithuræos in Cœleſyria, gentem maleficam domat. Matrem ius ſuum petentem,*

tentem, ſummæ enim rei eam Hyrcanus præfecerat, necat ſquallore & inedia: fratres matris obſeruantes, in vinculis tenet. Antigonum, quem præ cæteris ſe fratribus amare ſimulabat, iuuenem ſtrenuum, opprimit per inſidias. Sceleribus his perpetratis, animi dolore acerrimo, tum cruciatu inteſtinorum ſæuo correptus, non procul ab eo loco, vbi fratrem curarat interficiendum, animam cum ſanguine euomit, anno regni, cuius fructum nondum ceperat, primo. Cùm ſibi omnia ſumeret ſuperbia, partem cæteris non poneret infidelitate, nec vitam in terris diu retinuit.

395. ANTIGONVS I.

ANTIGONVS *alter Hyrcani filius, fratre Samariam obſidente, occurrit Antiocho Cizyceno, qui auxilio vrbi venerat: cuius copias cùm ſtatim in fugam dediſſet, nouas recolligentem iterum profligat, demum è ducibus eius, vt vrbibus occupatis cederent, vnum ferro expugnat, alterum pecunia. Rebus in Galilæa proſpere geſtis, corona regni, quaſi honoris conſortio, à fratre donatur: cui repente in ſuſpicionem veniens, inſtigante fratris vxore, prope Stratonis turrim, ad nauale Samariæ, à cohorte regia, quam frater ibidem ſub ædificio abdiderat, inſciens atq; innocens confoditur.*

IVDAS

396. IVDAS ES-SAEVS.

IVDAS *ex Eſſæorum collegio, ſpiritu diuino præditus, Antigonum conſpicatus victorem, cum exercitu ſplendido, ad fratrem Ariſtobulum, contendere: diſcipulos ſuos, vultu & voce triſti, alloquens, Mihi, inquit, nunc mori voluptas eſt: quia veritas ſublata eſt, & hodie in Antigono viro bono & ſimplice extinguetur: qui vt regi placeat, & fratri ſe oſtentet, ad certum periculũ incautus, & ad ſepulchrum ſuum ignorans proficiſcitur. His dictis locum & tempus cædis prænunciat: quæ verba, eodem die prolata, & perfecta eſſe, exitus comprobauit.*

397. ALEXANDER I. SACERDOS ET REX I.I.

ALEXANDER *patrio nomine Ianneas, non Ariſtobuli (vt Sulpitius Seuerus) ſed Hyrcani filius tertius, adhuc infans educandus in Galilæam ablegatur: nam pater ſomnio quodam territus, eum in ſuo conſpectu viuere noluit: cùm filiorum ſcelera animo prouido cognouiſſet. Adoleſcentiam ingreſſus à fratre Ariſtobulo, quòd matri faueret, tenetur captiuus.*

Regnum adeptus poſt fratrum duorum interitum, in ſuperſtites fit crudelis: quorum alterum de vita tollit, alterum conceſſa illi domo priuata, ſolio excludit. Oderat eum populus, propter morum aſperitatem: oderant ſacerdotes, tanquam impium & honore ſacro indignum: ea de cauſa ſibi timens, peregrino & barbaro ſatellite vtebatur. In nobilitatem ſibi repugnantem, exemplis horrendis animaduertit: quorum vxores & liberos, in parentum conſpectu laniat, ipſos parentes tali ſpectaculo ſemianimes, in cruces agit. Antipatrum Herodis patrem, perſpecta eius induſtria, primus euehit, in totius Iudææ perniciem. Vrbes Idumæorum, Syrorum, Phœnicum multas expugnat, Moabitas & Galaaditas facit tributarios, Gazam Philiſtinorum cum portu diruit. Contra Aegyptios & Arabes pugnat valde infeliciter: nam Ptolemæus Lathurus, vel (vt Plutarchus) Lamyrus, Iudæorum triginta millia ſternit, & captiuos veſci carnibus interfectorum cogit: Obedus verò Arabs eoſdem in anguſtum compulſos, non telis ad ſupplicium petit, ſed camelis proterit. Belli labores Alexander nullo tempore intermittit: erga omnes importunus, intemperans, immanis, non rarò etiam ebrius. Moritur in caſtris, in quibus ſemper vixerat, anno regni ſeptimo & vigeſimo, ætatis quadrageſimo nono. Vincendo conſumptus eſt, quia victorias obtinuit admodum

dum

dum cruentas, & ſuo ipſe populo magis nocuit, quàm hoſtibus.

398. ALEXANDRA REGINA III.

ALEXANDRA *regina, vero nomine dicta Salome, non Salina, vt in corruptis libris Sulpitij & Euſebij. Hæc ferocem mariti ſæuiciam & impetum coërcuit ſua modeſtia. Poſt eius obitum, virili audacia & prudentia, regnum gubernat annos nouem. Animoſa, propter potentiam: cara populo, propter ſimulatam legis obſeruationem. Maritum defunctum, niſi de pharijæorum voluntate, ſepulchro condere noluit, vt eorum fauore regnaret, propter quos odio & inuidia ipſe laborauerat: quod conſilium ita feliciter ceſſit, vt & funus ampliſſimum rex haberet, & eius filij regium decus retinerent. Alexandra natu maiorem filium Hyrcanum II. indolis ignauæ, & remiſſi ingenij iuuenem, ſummum ſacerdotem creat: alterum indignatione parantem ex aula diſcedere, non inuita dimittit, & frangit contemptu. Ipſa igitur Alexandra regina titulum, filius ſpeciem regis, ſed regnum reipſa Phariſæi poſſidebant. Tigranem Parthorum regem, ne bellum è Syria transferret in Iudæam, cùm ferro*

non poſſet, auro auertit. Anno regni nono, ætatis tertio & ſeptuageſimo moritur, rege marito melior, filio ſucceſſore animoſior.

399. HYRCANVS II. SACERDOS ET REX IIII.

HYRCANVS II. *apud Lucam Euangeliſtam Ianneus, regis Alexandri primus filius, cui morum ſimplicitas regnum dedit, ſtupor ingenij retinuit, credulitas tandem ei & regnum & vitam ademit. Beneficio matris ſummus ſacerdos creatur, quæ poteſtatem cum filio ideo æquauit, quia tenere ipſa propter ſexum non potuit: erat tum honor ſacerdotij (vt ait Tacitus) potentiæ firmamentum. Poſt matris mortem etiam rex proclamatur: ſed vtraq; dignitate exuitur, perfidia fratris Ariſtobuli. Exul in Arabiam fugiens, conſilio Antipatri Idumæi, armis Aretæ Arabu reſtituitur: ſed ei inuidens frater, machinari in eum ſcelerata non deſiſtit. Vrbem Ieroſolymam, & templum ante id tempus inuiolatum (vt ait Florus) capit Pompeius, & arcanum illud, patens aureo cælo (vt idem inquit) intrat. Redacto in prouinciam tota Iudæa, dignitatem ſacerdotij integram Hyrcano reddit, templi poſtea inſtaurandi poteſtatem ei*

facit

facit Cæſar. Ipſum in exercitu Aegyptiaco Romanis pugnaſſe, tradiderunt Aſinius & Hypſicrates: quod de viro mãſueto & ſegne, credibile non eſt, qui alienis exercitus etiam proprios commiſit. Idem circumuentus à fratris filio, auribus mutilatur: à Pacoro Partho abductus, & à Phraate fratre eius ſolutus, honeſtè exulat Babylone: ab Herode reuocatus, à Doſitheo proditus, afficitur capitali ſupplicio, ſenex iam octogenarius. Ad regnũ retinendum, multa contra pietatem, & iura maiorum fecit, Dauidis ſepulchrum propter auariciam aperuit. Præfuit annis triginta & quatuor, exceptis annis exilij.

400 ARISTOBVLVS II. SACERDOS ET REX V.

ARISTOBVLVS II. *regis Alexandri alter filius, non primus è ſacerdotibus (vt ait Oroſius) rex fuit, ſed ei cognominis Ariſtobulus patruus. Homo arrogans, facinoroſus, perfidus, ſua temeritate genus regium affligit, & patriam in ſeruitutem, vndè poſtea non euaſit, conijcit: alijs inuidens, quod ipſe non potuit obtinere. Fratri ipſius Hyrcano populus fauebat, ipſum efferebãt ſacerdotes, quorum opera fratri adimit ſacerdotium & regnũ, familia-*

res eiuſdem ſecuri percutit, ſocios Arabes bello infeſtat, fratris ducem Antipatrum ex Idumæa eijcit, fratrem eiuſdem prælio captum occîdit. Conſilia tuta cùm nulla admitteret, & Pompeio, vt ait Dion, fidem in re nulla ſeruaret, primùm ab eo ducitur in triumpho, vt Eutropius: iterum ab Antonio, equitum Gabinij præfecto capitur, vt Plutarchus. E' vinculis euadit Romæ, corruptis auro cuſtodibus: ſecundùm liberatur à Iulio Cæſare, qui cùm ei duas legiones committeret, veneno à Pompeianis intercipitur, in inſula Melite, inde corpus eius Antonius reportat in Palæſtinam, ad regia monumenta. Dedicauerat Romæ in templo Iouis Capitolini, auream vitem & coronam, quæ ſe vidiſſe Ioſephus teſtatur.

401. MANAIMVS ESSAEVS.

MANAIMVS ESSAEVS *ſeueriſſimi vir inſtituti, & futurorum ſciens, puerum Herodem ad literarum magiſtrum euntem, regem Iudæorum ſalutauit: qui cùm virum illum, vt fieri ſolet, admiraretur, ſeq; conditionis obſcuræ hominem eſſe diceret: Manaimus humerum eius percutiens, Ne dubites (inquit) quin regnum ſis poſſeſſurus, idq; ego tibi certiſſimò denuncio: ſed valdę doleo, te tantam felici-*

tatem

tatem neglecturum, quoniam omnis pietatis, iuſticiæ, veritatis eris inimicus, & noſtri populi hoſtis iniquiſſimus, & princeps planè abominandus. Cùm Herodes de regni diuturnitate porrò interrogaret, num decē annos eſſet regnaturus: etiam viginti & triginta regnabis, ait: ſed numerum integrum exprimere noluit: ſeptem autem adhuc Herodes ſuperuixit.

402. ONIAS PHARISAEVS.

ONIAS *primi nominis ſacerdos, innocentia & pietate venerabilis. Quòd aliquando pluuiam tempore difficili, precibus impetrauerat, gratioſus apud populum, vir minimè popularis. Obſidentibus templum Ieroſolymitanum Hyrcano II. & rege Areta, populari violentia producitur, vt factionem Ariſtobuli templum tenentem, diris deuoueat. id vir integerrimus facere detrectauit. Plebe inſtante, quæ in ſeditionibus audit neminem, prouolutus in genua, ſublatisq; in cœlum oculis atq; manibus, Deum obſecrat, vt parti neutri tradat victoriam, quoniam inde pugnaret populus, inde obſiderentur ſacerdotes: victoriam contrà ſic moderaretur, quantum prodeſſet ſaluti communi. Quæ verba vix elocutus, à circumſtante multitudine, vt Zonaras ſcribit, lapidibus obruitur. Eius*

mors cauſa perhibetur fuiſſe, vt à Pōpeio vrbs caperetur, Deo ipſo hominis innocui interitum vindicante, & puniente plebem ſeditioſam.

403. SAMEAS PHARISAEVS.

SAMEAS *Phariſæus, Pollionis Phariſæi diſcipulus, magnæ æſtimationis, maioris animi ſenex. Cùm Herodi adhuc adoleſcēti, propter latrocinij crimen, dicta dies eſſet, & cohortem militū ſecum ad iudices adduceret: nemo ei facinus intētare, aut eum lege poſtulare audebat. Cæteris trepidis & ſedentibus, Sameas ſurgit, et coram tota concione dicit, ſe reum antehac vidiſſe neminem, quin ſordidatus ad ſubſellia veniret, ante quæ aſtaret nunc Herodes armato ſatellite. Hunc tamen, inquit, quòd ſuæ incolumitati conſulit, non repræhendo: vos miror, cur tantū licentiæ cuiquam in ciuitate libera permittatis. Herodem malum eſſe, dubium non eſt: ſed vos ne ignoretis Deum eſſe iuſtiſſimum. Quòd ſi in Hyrcani gratiam, hominem reum nunc dimittitis, Deo vltori, & tu rex Hyrcane, & vos iudices daturi pœnas eſtis. Vox hominis diuinior fuit, quàm vt illo tempore intelligeretur. Herodes enim & regem Hyrcanum, & totum Synedrion ferro poſtea ſuſtulit, & multos Phariſæos interfecit:*

fecit: vno hoc Samea excepto, qui cæteris perſuaſit, vt Herodem cum patientia & ſilentio tolerarent, conuerſionem factam diuinitus, poſſe mutari à nemine.

404. ALEXANDER II.

ALEXANDER II. *Ariſtobuli II. filius, cùm Romam vinctus à Pompeio mitteretur, cuſtodes in Cilicia fallit, & amicorum opibus, apud quos annos circiter quinq; latuerat, bellum renouat, & cum Gabinio duce Romano confligit quinquies. In hoſtis poteſtatem veniens, Romam denuo ablegatur. Dimiſſus iterum, iuriſiurãdi ac beneficiorũ immemor, paſſim cædit Romanorum præſidia, & latrocinãtis in morem per Syriam vagatur. Id cùm non diu caderet ei feliciter, Antiochiam perductus, iuſſu Pompeij, ſentẽtia Scipionis Syriæ præfecti, percutitur ſecuri. Eius filiam Mariannem pulchritudine eximiã, Herodes ſibi coniugem expetiuit.*

405. ANTIGONVS II. REX VI.

ANTIGONVS II, *Ariſtobuli II. regis alter filius, ingenio vario, conſilio au-*

daci, fide dubia. E cuſtodia Romana euadit bis. Ad regnum repetendum exercitus Parthicos in patriam adducit, Hyrcano patruo aures ſuis abſcindit dentibus, vt Hegeſippus ſcribit, tum vinctum hoſtib. tradit abducendum. Herodem è Iudæa fugat, coniuges eius & liberos obſidet, Phaſelum & Ioſippum fratres, illum in neruum coniicit, hunc in via Aſiatica cùm iret pabulatum, extinguit. Vrbem ſacram & arcem regiã exteris obiicit ſpoliandam, prætores Romanos aut aſtu eludit, aut corrumpit muneribus: æmulus Herodis perpetuus, quia familiæ Aſmonææ, blanditus Romanis, regnũ eripuerat. Tandem ab iiſdem Romanis, hoſtis iudicatur, impellente Herode, captus à Soſio: ſecuri cæditur, mandante Antonio Triumuiro. Relinquit nullam prolem maſculam, regum è ſtirpe Aſmonæorum poſtremus. Cuius maiores cùm pro gente & patria, multa memorabilia geſſiſſent: poſteri ea dignitate, qua annos centum & viginti functi magnificè erant, odiis & diſſidiis mutuis exciderunt.

406. ARISTOBVLVS III. SACERDOS.

ARISTOBVLVS III. (*ab Hegeſippo dictus Ionathas*) *Alexandri II. filius,*

lius. Huic Herodes dedit ſacerdotium: nam eius auum præterit, quòd adminiſtrare debilem, munus ſacerdotale non decebat: & Ananelum, quem ipſe ornauerat, rurſus eijcit, quod etiam more inuſitato faciebat: nam præter Antiochum Epiphanem, hominem teterrimum, nemo quod datum ſemel fuit, beneficium clienti rurſus abſtulit. Herodes vtrumq; faciebat aſtutè, ne Cleopatræ reginæ Aegyptiacæ gratiam effunderet, quæ Ariſtobulo fauebat, & quam timere ipſe cogebatur. Erat Ariſtobulus adoleſcens, & propter maiorum memoriam, & ſuam indolem excellentem, populo acceptus, eiusq; omnia facta ſpectabant ad dignitatem. Inde acerbo in ipſum odio Herodes flagrare incipit. Vocato in hortos Hierichuntinos ad cœnam obſequia ſimulata exhibet, & ad luſus & iucunditatem inuitat. Adoleſcens minimè ſuſpicioſus, cùm in piſcina animi cauſa nataret, à regis amicis, qui ſubornati fuerant, in aqua ſuffocatur: anno ſacerdotij primo, ætatis, vt Zonaras, decimo ſeptimo: vt Ioſephus, decimo octauo. Fuit liberalitate vultus, ſtaturæ proceritate, totius corporis dignitate admirandus: cui virtus eximia, & fauor populi exitum maturauerunt.

407. ALEXANDRA II.

ALEXANDRA II. *neptis Alexandræ I. Alexandro II. nupta, omnium fœminarum ærumnoſiſſima. nam præter publicum luctum in turbata patria, ſuam liberorumq; obſidionem, fugas cognatorum, vrbis ſacræ triplicem direptionem, exilia ciuium, etiam ipſa obruta multis calamitatibus domeſticis eſt. Pater eius Hyrcanus pœna publica afficitur, patruus Ariſtobulus veneno necatur, maritus Alexander, & leuir Antigonus ſecuri cæduntur, filius Ariſtobulus aqua mergitur, filia Marianne perimitur gladio, nepotes ſpe regni penitus excluduntur, omnis Aſmonæorum ſtirps deletur: donec & ipſa morte violenta à ſicario, quem ei gener immiſerat, interit, annum ætatis iam egreſſa ſexageſimum.*

408 ANTIPATER IDVMAEVS I.

ANTIPATER *cuiuſdam Aſcalonitæ, Apollinis æditui, & Cypridis Arabicæ aſtutiſſimus, ſecundum Zezem, filius, quem è nobiliſſimis gentis Iudææ, qui è Babylone venerant parentibus, genitum eſſe Nicolaus Damaſcenus, aſſetator regius finxit. Inter piratas educatus, ex ergaſtulis Idumæorum, ad præfecturas militares euehitur. Ingenio induſtrius, manu promptus,*

ptus, laborum patiens, gratiæ magis quàm pecuniæ ſtudioſus: ducum Romanorum aſſecla, vt potentiam augeret: religionis ſimulator, ne Iudæos offenderet. Regibus inter ſe hoſtiliter diſſidentibus, eas partes fouit, à quibus plurimum ſperabat dignitatis: Inprimis Hyrcani II. cauſam defendit contra fratrem Ariſtobulum: illum captu facilem, naturæ ſimplicitate animaduertebat, hunc verſutum et confidentem maximè oderat, & tacitè metuebat. Ab Hyrcano declaratus dux, bis pugnauit in Aegypto, primùm cùm Ptolemæum Auletem reduceret Gabinius: iterum, cùm Iulius Cæſar bellum Alexandrinis inferret. in quo bello, alacritate & animi magnitudine, nullo duce inferior fuit: ea de cauſa ius ciuitatis Romæ, & procurationem totius Iudææ accipit. Tanto honore elatus, filios Phaſelum vrbi ſacræ, Herodem Galilææ, Ioſippum Idumææ præficit. Iniquè ferentibus Iudæis, quòd hominis externi tantùm creuiſſet autoritas, Malachum quendam inſtimulant, cui cùm parum procederet audacia, ad inſidias conuerſus, per Hyrcani pincernam, venenum propinat Antipatro, qui paulò antè vitam ei conſeruauerat. Hoc eodem anno Romæ Iulius interficitur multis vulneribus.

409. PHASELVS.

PHASE-

PHASELVS *Antipatri primogenitus, vir fortis & prudens, præfectus Ieroſolymorum, dux Iudaicæ militiæ, dignitatem Hyrcani ſtabiliuit, & ciuiles tumultus compeſcuit. Tetracha Iudææ factus ab Antonio eſt, ſed cùm Antigonus II. vrbem ſacram exercitu Parthico occuparet, in turba capitur, néue quid durius aut indignius pati cogeretur, caput in cuſtodia in parietes illidit, & voluptatem hoſtibus occidendi ſui præripit. In eius honorem, Herodes frater Phaſelidem, turrim maximam Ieroſolymis, & eiuſdem nominis ciuitatem præclaram, non procul ab Hierichunte, ædificat.*

410. IOSIPPVS.

IOSIPPVS *Antipatri filius tertius, præfectus Idumææ, & Iudææ quæſtor. Eiecto à Parthis fratre Herode, eius coniuges, liberos, fortunas in vrbe Maſſada, tuetur fide & virtute egregia. Præterea obſidionem grauem tolerat tam diu, donec Herodes reuerſus Roma, ſuis opitularetur. Commendatur eidem Marianne, cùm ad Cleopatram Herodes abiret, ſed cùm ſecreti neſcio quid Marianne ei aperuiſſet, conſpectum fratris hominis ſuſpicacis, fugere aliquandiu cogitur. In Aſiam ad Antonium properans, in anguſtijs depræhenditur, & ab Antigoni II. militibus, opprimitur, cum omnibus ſuis copijs. Eius*

caput

caput affixum palo, ludibrij cauſa per caſtra circumfertur, quod frater Pheroras natu minimus, pecunia ingenti redimere cupiens, nihil impetrat.

411. PHERORAS.

PHERORAS *Antipatri minimus natu filius, à fratre Herode in adoleſcentia ſtudijs ac voluntate diuerſiſſimus. nam Herodes induſtrius & rei ſeruiens locupletabatur, Pheroras vt ceſſator, ludoq; & voluptatibus deditus, ab Horatio poëta tacitè inceſſitur. Excitatus tandem inſidijs & iniquitate inimicorum, leuitatem vitæ prioris corrigit. Poſt amiſſos fratres germanos duos, Herodem omnibus opibus contra Antigonum II. adiuuat. Impetrauit tetrachiam à Cæſare Auguſto, & ad ingenium maleficum rediens, fratris domum, quam bello ciuili videbat eſſe ſimilem, magis perturbat. Marianne vxor, & eius duo filij, vt interficerentur, efficit: fratri demum ſeni & iam ſocero ſuo, venenum propinare cogitat, & captus amore alieno vxorem ſuam repudiat. In morbum cùm incideret, ab Herode eius ſcelerum inſcio, fraterna obſeruantia inuiſitur, qui defuncto etiam honores tribuit. Filiæ eius Roxane & Salome ab Auguſto Cæſare, fratribus ipſarum patruelibus, Herodis filijs collocantur, dote liberali & magnifica.*

REGES

REGES IDVMAEI.

412. HERODES I. ASCALONITA.

HERODES *Antipatri ſecundus filius, duplici cognomento, Aſcalonita, ab aui patria: Magnus, à rebus geſtis: Brephoctonos, à cæſis infantibus. A Zonara prætor Cæleſyriæ, à Porphyrione rex Syrophœniciæ nominatur: quas dignitates ab alijs ei tribui non memini: vt nec Strabo verè ſcribit à Romanis ipſum præfectum ſacerdotio, cùm regnum tántum acceperit: ſed tamen more gentis Iudaicæ inunctus non eſt, quia ſecundum prophetam Danielem, exterminata iam erat vnctio. Sacerdotium Iudæis relinquit: ſed de ſua id voluntate, cui voluit, aut dedit, aut precio vendidit. In regni initio per triennium commodus, ſed poſtea tota vita intolerabilis. In tyrocinio audax, indefeſſus, & rerum magnarum ſemper cupidus: in gubernatione tyrannus immanis, & hypocrita aſtutiſſimus. Vincit Galilæos, Arabes, Iudæos: Samariæ nomen abolens, eam Auguſtam vocat. Militat Antonio, & auxilia mittit Auguſto & amicis literas ſcribit duplices, vt belli euentum cautè expectent, & cui victoria contigerit, ei literas tradant & munera: alteras conſcindant. Apud Romanos duces ſemper gratioſus: Auguſtus eum ſupra omnes,*

excepto

excepto Agrippa, dilexit: Agrippa dignum iudicauit propter magnificentiam, qui totum Syriæ vel Aegypti regnum poſſideret. Vrbes plurimas amplificat, nouas ſplendidè extruit, templum ſacrum in formam auguſtiorem redigit: Antiochenis, Rhodijs, Nicopolitanis tribuit beneficia. Liberalis erga exteros, in ciues atrox, erga domeſticos fera ſilueſtri truculentior: vndè tot hoſtes timuit, quot filios ſe metuentes haberet. Conſilium publicum, duorum & ſeptuaginta virorum nobiliſſimorum, tollit de medio: amicos regis Antigoni II. quinq; & quadraginta iugulat: adoleſcentes ſtudioſos quadraginta, cum duobus ſacerdotibus Iuda atq; Matthatia, rogo imponit: omnes homines quocunq; modo ſibi aduerſantes, aut leui de cauſa ſuſpectos, excruciat: miſcens interdum pœnis amicicias, beneficia iniurijs, ſceleri pœnitentiam. Zachariam patrem Iohannis in ſacrario ab eo ſublatum, ſolus Cedrenus ſcribit. Maiore furore accenſus in ſua viſcera, coniugem Mariannem, & ſocrum Alexandram interficit: filios tres necat Ariſtobulum, Alexandrum, Antipatrum, quibus addit quartum Macrobius, intra bimatum peremptum. Ariſtobulo affini, Mariannes fratri, adimit ſacerdotium & vitam: ſororis maritum, & filium eius, vt ſcribit Philo, obtruncat. Perſarum Magis regem Meſſiam inquirentibus, ſtruit inſidias: Chriſtum ipſum ad necem inueſtigat: vrbem Bethlehemā & agrum

vicinum, maſculorum cædibus exhaurit, quod tradit Matthæus Euangeliſta. Incidens demum vna contagione in morbos plurimos, cruciatu longo, & tetro fætore, vermibus toto corpore erumpentibus, conſumitur: cultrum in viſcera acturum, Metroëbus conſobrinus, & Achiabus miniſter prohibent. Moritur miſerrimè, cùm dolorum remedium nec animo inueniret, nec ſentiret corpore. Florem nobilitatis & ſenatus reliqui, ante mortem conabatur extinguere, vt eſſent qui in eius flerent exequiis, nulli hominum, ipſius tyranni iudicio, flendis. Regnauit hoc inter homines monſtrum, annos ſeptem & triginta, quod terra tulit annos ſeptuaginta.

413. SALOME TYRANNA.

SALOME *Herodis ſoror & affinis: nam fratri Herodis nupta erat, mulier improbiſſima, in quam conuenit, quicquid dici in ſceleſtam & truculentam poteſt: maritorum exitium, familiarium peſtis, gentis Aſmonææ calamitas, aulæ totius procella. Ad omne malum facinus non minus ingenioſa, quàm prompta: neſcia nec iræ, nec furori moderari, cædium multarum auctor. E peregrina inſolens, ex ignobili ſuperbiſſima: cuius inſtinctu Herodes egit, quicquid contra iura Dei & hominum perpetrauit: ſoli enim credidit,*

& ſola

& ſola ei, cuius ingenio erat ſimilima, fida fuit. Teſtamento amplo poſt fratris interitum ditata, hæredem ipſa ſcribit Iuliam Auguſti Cæſaris coniugem: quam in domo paterna Liuiam dictam, ſcriptores Latini prodiderunt.

414. MARIANNE.

MARIANNE *Alexandri II. regis filia, puella præclara, propter formam in regium thalamum ducitur ab Herode, qui coniugem Doſidem Idumæam (Hegeſippus Ieroſolymitanam appellat) non rectè repudiat, & amorem in eam vnicam transfert: quod illi & inuidiæ & interitus cauſa fuit. Malis maximis ſub marito tyranno, affligitur, qui eius auum, patrem, patruum, fratrem ſuſtulit, & ipſi innocenti inſidias tetendit. Eius cauſa fratri Ioſippo interdixerat ſuum conſpectum, & Soëmum amicum ac familiarem peremerat. Tantis doloribus afflicta, animum à marito paulò alieniorem oſtendit, quod cùm animaduerterent aulicæ mulieres, nactæ eius euertendæ occaſionem, adulterij & veneficij perfidè accuſant: quibus calumnijs Herodes agitatus, & ſuſpicionum plenus, capitis damnat immeritam. Ad locum ſupplicij, nec greſſu timido, nec vultu mutato accedit: nec vitam ponit muliebriter, cùm admiratione eorum, qui animoſam ducerent, & interritam*

mori ſpectarent. Eius deſiderium animo tam impatiente maritus interfector tulit, vt ſolitudines amens adierit, & de morte ſibi conſciſcenda, per furorem cogitarit, & nomine mortuæ ſæpe vocato ægritudinem lenierit.

415. ARISTOBVLVS IIII.

ARISTOBVLVS IIII. *Mariannes primus filius, cum fratre Alexandro Romæ apud Aſinium Pollionē annis decem educatur, ijs artibus inſtructus, quæ decerent homi nem ad res magnas natum. Huic deſpondetur amitina Berenice, patris voluntate, ex qua genuit filios Agrippam, poſtea regem Iudææ, et Herodem regem Chalcidis, & Ariſtobulum: duas item filias Herodiadem & Mariannem. A ſocru iniqua, & vxore perfida in vitæ periculum conijcitur, nullo ſuo merito: & quamuis crimina atq; obtrectationes purgaſſet aliquoties: tamen ex animo patris euelli ſuſpicio non potuit, quæ aucta tantopere eſt, vt publico conuentu Berethyno, ſententijs extortis, adoleſcens regius damnaretur, & inde ductus Cæſaream, informi morte ſuſpendij tolleretur.*

416. ALEXANDER III.

ALEXAN-

ALEXANDER III. *Mariannes alter filius, Romæ inſtitutus, ſpe ſumma indolis præſtantiſſimæ. Idem patre volente vxorem accipit Glaphyram, regis Cappadocum Archelai filiam. Huic gratiam induſtria, laudem eloquentia conciliauit apud omnes: ſed apud ſolum patrem obfuerunt ei, illa egregia & animi & ingenij bona. Odium paternum in eum accuſationibus & maledictis, tanquam facibus, incenderũt Salome nouerca, & frater Antipater, alia matre progenitus, & Euricles quidam Spartiata. In gratiam eum reponit ſocer Archelaus, ſingulari commento, quod Zezes refert: ſed à patre ſemel atq; iterum reconciliato, nunquam verè amatur: nec potuit ipſe ſummas iniurias diſſimulare, aut obliuione planè conterere. Cùm eſſet ætate liberior, leuiſſima eius & facta & ſermones, imò nutus obſeruati ſunt: donec tandem delatione & ſuſpicionibus (domorum regiarum malis vſitatis) euertitur, & vnà cum fratre laqueo ſtrangulatur, Alexandro & Tigrane filijs relictis.*

417. TERO MILES.

TERO MILES *regis Herodis veteranus, libertate generoſa ipſe ſeſe perdidit. Cùm enim regij iuuenes, reginæ Mariannes filij, quos flagitioſè accuſatos, & nefariè damnatos*

nemo non nouerat, ad ſupplicium traherentur: ſolus è turba exclamat, abolitã religionem, periſſe honeſtatem, exulare iuſticiam. Talia dicentem, rectè dicere reliqui ſciebant, & cupidè audiebant: ſed ſe quiſq; periculo ſubtrahebat, nec ſciri volebat, voces eiuſmodi ſe probare. Accerſitum Teronem, cur id feciſſet, Herodes interrogat: ille locutus multa libère, tandem cum fiducia reſpondet: Quàm laudanda ſit exercitus miſericordia erga iuuenes, nullius culpæ veris teſtimonijs conuictos: tam iuſtum eſſe odium in regem, qui in viſcera ſua præter naturã ſæuire, & domum tantis decoribus ſpoliare auſit. Eo ſermone rex fremens, miniſtris hominem dat excruciandum, quem inter tormenta grauiſſima conſtanter expiraſſe, Ioſephus: telis & ſaxis obrutum à multitudine, Hegeſippus teſtatur.

418. ANTIPATER II.

ANTIPATER II. *è Doſide matre ignobili, Herodis primogenitus, tanta morum fuit improbitate, vt filiũ Herodis agnoſceres: cui aſſentatio improba, & ſimulatio nefaria aditum ad regnum fecit. nam alijs excluſis pater, hũc vnum ingenio ſibi ſimilem probauit, vt regno hæredem deſtinaret: ſed vt regnum inuaderet quamprimùm, nullo dolo aut flagitio abſtinuit:*

nuit: odio patris magis, quam quiſquam alius flagrabat, obſeruantiam autem & amorem omnibus dictis factisq́; ſimulare potuit, callidus mendax, adulator verſipellis: fallaciam enim pro veritate, vanitatē pro elegantia habuit. Fratres Antigonum & Alexandrum vita, Archelaum & Philippum ſucceſſione priuat. Cum Pherora demum patruo conſpirans, patri venenum parat, matre ſua veneficij eius non ignara, & vxore Pheroræ poſt mariti demum mortem, id prodente. In facinoribus multis deprehenſus, vinculis aſtringitur, donec de parricida puniẽdo Cæſaris Auguſti ſententia audiretur. In morbũ interea lethalem pater incidit, quem cùm manu propria periſſe Antipater audiret, læticiam nequit diſſimulare, & quomodo elabatur, cum carceris cuſtode deliberat. Statim vt Herodes id comperit, filium in neruo ſine mora necari, & funere obſcuro ſepeliri, in caſtello Hyrcanio, non (vt Ruffinus) in Hyrcania regione, imperat. Regni fructu quo alios priuauit, & patrem ſpoliare voluit, ipſe caruit, iuſta Dei ſententia.

419. ARCHELAVS REX II.

ARCHELAVS *Herodis è muliere Samaritana filius, morum paternorum ſu-*

perbus imitator, Romæ fuit educatus. In regni eius initio, continui tumultus: nam Simon ſeruus patrius, & fratres quatuor paſtores, & alius dux latronũ in Galilæa, & Theudas Magus, cuius in hiſtoria apoſtolica mentio, principatum appetiuerunt, graſſantes vndiq; ferro & incendijs: ſed celeriter à Romanis præfectis iſti opprimuntur. Cum Archelao fratres, viribus maioribus de regno contendunt. Ipſe partem ditionis ampliorem tenebat, iratus & dolens, quòd non teneret vniuerſam & totum regnum. In populi odium incurrit, propter tyrannidem: Deum ſibi facit hoſtem, propter inceſtũ: nam Mariannem vxorem repudiat, & Alexandri III. fratris coniugem, ducit, Glaphyram illam Cappadocenſem, tum temporis Iubæ regis Numidarum viduam. A Iudæorum proceribus, quos infeſtare non deſiſtebat, accuſatus crudelitatis & libidinis, cauſa in ſenatu cadit, & ab Auguſto Viennam, Galliæ vrbẽ, relegatur, bona eius inferuntur ærario, ditio facta prouincia Romana. Hoc regnante, puerum Chriſtum Ioſephus & Maria mater ex Aegypto in Galilæam reducunt. Regnauit annos decem, nec plures illi Simon Eſſæus prædixerat.

420. PHILIPPVS.

PHILIPPVS eiuſdem Herodis è Cleopatra Ieroſolymitana filius, mitiore ingenio, & animo æquabiliore, quàm fratres cæteri. Huic Archelaus Româ profectus, regni curam committit: ipſe quoq; laturus ei patrocinium, Romam aduolat. Dirempta de regno lite, in qua ipſe fuerat æquiſſimus, tetrarcha Trachonitidis conſtituitur, quam ditionem ſine iurgio & iniuria cuiuſquã adminiſtrat: ſua ſeruans, nemini quicquam eripiens, nulli inuidẽs. In obuios quoſque liberalis, erga petentes benignus: in iudicijs partis iuſtæ defenſor, iniuſtæ vindex. Annis totidem regnauit placidè, quot pater eius varia fortuna regnauerat. In vita nihil tulit moleſtius, quàm proteruæ vxoris, & filiæ laſciuæ improbiſſimam fugam. Moritur ſine prole, eius tetrarchia à Cæſare Tiberio, prouinciæ Syriæ adiungitur.

421 HERODES II. ANTIPAS.

HERODES II. vero nomine Antipas, Magni filius, Archelai frater germanus, tetrarcha Galilææ, omni perfidia & turpitudine infamis. Vxorem legitimam regis Aretæ filiam, non dicta cauſa, repudiat: Herodiadem Philippi fratris vxorẽ furtim abducit, abiecta ſanguinis reuerentia, & neceſſitudine hoſpitij

violata. Iohannem Baptiſtam, prophetam maximum, nuptias inceſtuoſas improbantem, in cuſtodia Macheruntina capite minuit: cuius cædis aliam affert cauſam Ioſephus, minus veram: Chriſto prætereà in Galilæa docenti, et miracula edenti inſolita, tendit inſidias: eundem à Pilato ad ſe miſſum, per milites amictu byſſino ſubſannat. Ab huius fermento cauendum eſſe, Chriſtus monet, eumq; fraudulentè et aſtutè agentem omnia, vulpem appellat. Coniugis ambitione & odio nomen regium expetens, Caiũ Cæſarem offendit, à quo in Gallos Allobroges, vt Strabo: ſeu in Lugdunẽſes, vt certius deſignat Ioſephus, ire exulatum iubetur: Hegeſippus fugiſſe in Hiſpaniam, & animi ægritudine ibidem conſumptum ſcribit. Cùm maiora quæreret ſuis opibus, etiam eas, quas poſſederat, amittit: pro regno ferens exilium, prò honore contemptum.

422. HERODIAS.

HERODIAS *Ariſtobuli IIII. filia, vxor non illius Herodis, qui ex Marianne Simonis pontificis filia natus eſt, vt autumat Ioſephus: ſed Philippi tetrarchæ Trachonitidis, vt Euangeliſtæ Matthæus & Marcus conteſtãtur. Hæc amoris quadam inſania, maritum deſerit, hoſpitem ſequitur: & adulteri animũ ita faſcinat, vt ſuæ ipſum libidini, tanquam pecus haberet*

beret obnoxium. Iohanni viro ſanctiſſimo, & prophetæ ſummo, qui eius cum adultero conſuetudinem indignam reprehenderat, toto animo fuit infeſta: cuius interficiendi occaſionem quærens, inter epulas per filiam petulantem inuenit, efficitq́; , vt illud os mutum mutilumq́; cerneret, à quo fuerat ſeuerius obiurgata. Marito eius exilium indicit Caius Imperator, qui Herodiadi propter fratrem Agrippam concedit immunitatem, quæ cum ſubdolè coniugis amore ſe teneri diceret, nec poſſe illum relinquere, vnà cum adultero inceſtuoſo relegatur: ademta ambobus ornamenta ſunt omnia. Nomen Herodiadis in Magorum & veneficorum carminibus, tanquã præcipuè dirum, adhuc nominari perhibetur.

423. SALOME SALTATRIX.

SALOME *Philippi & Herodiadis filia, non Philippi coniunx, vt iterum Ioſephus falsò ſcribit: in raptoris, quàm in patris domo habitare maluit: domus vtriuſq; probrũ atque propudium. Vocata in ebriorum conuiuium puella, coram regijs hoſpitibus ſaltat, ita compoſito motu, vt oculis laſciuorum apprimè placeret. Rex, poſcere quod vellet, iubet, iurans ſanctè, repulſam non laturam. Rem cum matre*

furioſa

furioſa deliberans, præter ſexus naturã, & expectationem hominum, prophetæ caput petit, in carcere detenti: quod etiamſi ægro rex animo accipere videretur, tamen religionem ſuorum verborũ violare noluit. Itaq; Macheruntem, in qua vrbe tenebatur vinctus, miſſus ſpiculator eſt, qui caput viri innocẽtis afferret, quod lanci impoſitum porrigitur ſaltatriculæ: illa ad matrem defert, mater oſtentat marito & conuiuis. Nicephorus tradit ſaltatriculã hiemis tempore in amne ſubmerſam: corpus motu aquarũ ſubſiluiſſe: caput eminens, glacie fuiſſe reſectum. Corpus eius truncum in aqua perijt: caput in fluuio indurato iacens, videntibus ſpectaculo fuit. Cedrenus terra abſorptam ſcribit. Iræ Dei in ipſius morte aliquod extitiſſe teſtimonium, et prodigioſum fuiſſe fœdiſſimi iſtius monſtri exitum, valde eſt veriſimile.

424. CAIPHAS SADDVCAEVS.

CAIPHAS SADDVCAEVS, *patrio nomine Ioſephus, cognomen à cane venatico, factis conueniens, conſecutus: tempore enim matutino ceruam, (per quã Chriſtus*
Pſ. 22. *in Dauide intelligitur) ad Pilati tribunal agit. Gener fuit Annæ põtificis, cuius filij tres Eleazarus,*

rus, Ionathas, Theophilus, ſummam ſacerdotij dignitatem tenuerunt. Ad Caipham Chriſtus captus noctu deducitur, & facie velata, ludibrijs irridetur, ſputo fœdatur, manibus bacillisq; cæditur. In eiuſdem domo interrogatus coram concilio, ſuam maieſtatem, & aduentum ad iudicium profitetur, & cognoſci doctrinam, propter quam arguebatur, ex ſuis auditoribus iubet. Ob eum ſermonem aulicus quidam colaphum ei incutit, vidente pontifice. In domo eâdem Petrus territus, quòd Chriſtum non nouerit, iurat pertinaciter. Caiphas pontificatu priuatur, à Vitellio præſide Romano. Eius vaticinium celebratur, quod protulerat inſciens, Melius eſſe vnum perire hominem, quàm totam gentem interire.

425. PONTIVS PILATVS.

PONTIVS PILATVS, *Valerij Grati ſucceſſor, præſes Ieroſolymis, Iudæos in concione tumultuantes, ſcipionibus mulctari iubet: Galilæorum ſacrificantium ſanguinem, cum pecorum cruore miſcet: Samaritanos in certum locum vocatos, inter ſacra quaſi ſeditioſos opprimit. Chriſtum Dominum, Regem & Redemptorem, cui innocentiæ teſtimonium ſepties dederat, & odio eſſe vinctum non ignorabat, cædi virgis & rhamno coronari mandat, & non conuictum,*

damnat

damnat propter formidinem, Barrhabam notum latronem dimittit. Aqua fluminea & manuum lotione, cædis piaculum fieri poſſe, quod Ouidius irridet, ipſe ſuperſtitiosè credit: verbis & facto teſtatus, affligi innocuum, & nihil quicquam meritum necari. Cruci erectæ regis titulum tribus linguis, Ebræa, Græca, Latina, toto orbe terrarum nobiliſſimis, inſcribit, & corpus Chriſti eodem die deponendum. Ioſepho Arimathæo Decurioni tradit. Gratia Tiberij Cæſaris cùm excidiſſet, ſuo ipſe gladio incumbit, teſte ſcriptore antiquo Tertulliano. Pilati & Herodis amicicia vulgò celebris; cùm conſentiunt in mala cauſa, qui amici inter ſe nunquam fuerunt.

426. PETRONIVS.

PETRONIVS *Iudææ præſes, Vitellij ſucceſſor, ſeipſe in periculum vitæ conijcere maluit, quàm populum Iudaicum perdere: nam cùm Imperatoris ſtatuam, in loco templi ſacratiſſimo ponere iuſſus eſſet, populus omnibus precibus, ne id faceret, enixè contendit, obteſtans, ſe facilius vitam poſiturum, quàm admiſſurum templi profanationem. Præſes animaduertens, id non obſtinatione fieri, ſed Dei vltoris metu, ſtatuam non collocat, ſed pro populo ſupplex fit Imperatori. Petronio propter mandati contemptum Caius ſcribit, vt mortis genus eligat, quod velit:*

velit: aut ſi ceſſet, Romam pertrahatur ad exquiſitum ſupplicium. Literæ iſtæ naui delatæ, reddi propter tempeſtatem non potuerunt: & Caius interea à ſuis aulicis interficitur, & Petronius diuino miraculo defenditur. Lenitas & fortitudo huius viri, quòd peperciſſet miſeris, Deo accepta fuit, & laudem ei Romam venienti, ſingularem attulit.

427. HERODES III. AGRIPPA, REX III.

HERODES AGRIPPA *Ariſtobuli IIII. filius, in quo binos errores committit Cedrenus, qui Herodis filium, & fratrem Archelai nominat: cùm ſit Herodis Magni non filius, quod & Suidas ponit, ſed nepos, & Herodis regis Chalcidis frater. Aetatem iuuenilem Romæ tranſigit, iactatus varijs caſibus: è vili honoratus, ex obærato ditiſſimus. Gratia Tiberij, Caij, Claudij Imperatorum floruit, a Tiberio tamen vinctus propter calumnias eſt, ſed mox à Caio dimiſſus, à Claudio tandem potenter euectus: regnum enim Herodis in Iudæa, Antiochi in Comagene, tetrarchias Antipæ & Philippi, præfecturam Lyſaniæ gubernauit. Nactus aliquando a Caio poteſtatem, quod placuiſſet, petendi,*

petendi, non honores ampliores, nec acceſſionem ad fortunas popoſcit: ſed pro lege Dei omnipotentis rogauit, ne videlicet ſtatua & ſimulacrum Imperatoris in templi adyto poneretur. In patriam reuerſus, catenam auream, munus Caij Imperatoris, in ſacra æde dicat, æquantem pondus æneæ ſeu ferreæ illius, quam à Tiberio ligatus geſſerat. Phariſæis & populo vt faceret gratum, ſæuire in Chriſti diſcipulos cœpit, Iacobum Zebedæi filium, ferit gladio: Petrum Ionæ, carceri includit. Adulatorum plauſu & vocibus in theatro Cæſareæ, Deus ſalutatur, quo mendacio cùm delectaretur, ab Angelo percutitur morbo lethali: inteſtina eius putrefacta cùm vermes roderent, die quinto poſt moritur, ingenti & membrorum & conſcientiæ cruciatu, conquerens & lamentans, nullum vſpiam in terris hominem ſe miſeriorem viuere. Regnat annos ſeptem, obit ætatis quarto & quinquageſimo. Berenicen eius filiam, vt duceret, Polemo rex Ponticus, ſe circumcidit: ſed ab vxore contemptus, videbatur cum pelle animum depoſuiſſe, erga ingratam & ſuperbam mulierem.

428. HERODES IIII.

HERODES IIII. *Agrippæ frater & gener, rex Chalcidis, à Claudio Imperatore poteſta-*

poteſtatem accipit creandi pontificis Ieroſolymitani, & eodem permittente, ſacræ pecuniæ præficitur. Effectum igitur deinceps eſt, vt ad ſacerdotium nemo dignus eueheretur, cùm eſſet auro venale: & vt pauci officio diuino fungerentur, cùm eſſent miniſtris templi detracta alimenta, & quæſtoribus profanis ac lucro inhiantibus commiſſa pecunia ſacra. Retinuerunt id tantum muneris pontifices, vt tunicam talarem & ſtolam ſua inſignia, & pauca vaſa templi, eaq; minus precioſa, in cuſtodia haberent.

429. AGRIPPA II.

AGRIPPA II. *Agrippæ filius, in aula Claudij Cæſaris educatur, & eandem, quam patruus, in templum & ſacerdotes retinet poteſtatem: nec erat amplius aut pontificatus aliqua amplitudo, aut debitus pecuniæ depoſitæ in templo vſus. Huic Agrippæ ad alias tetrarchias Nero Imperator vrbes quatuor magnificas, cum vicis & agris poſſidendas adijcit. Cauſam pro ſe dicit, coram hoc Agrippa, & ſorore eius Berenice, Paulus Apoſtolus, qui orationis grauitate regem mouit mirabiliter. Druſilla & Marianne eius ſorores, gentili Herodiadum libidine, regibus maritis relictis, adulteros ſunt ſecutæ: Druſilla, Feſtum hominem libertinum: Marianne, ciuem quendam opulentum Alexandrinum.*

num. Ipſe quoque familiarius cum Berenice ſorore vidua vixit, quàm deceret: ob quam cauſam Iuuenalis Satyricus eum exagitat. Veſpaſiani partes ſtrenuè fouet, ante Gamalam vulneratur, rebelles Iudæos ſibi donatos vendit. Ab eodem, poſt Neronis mortem, legatus Romam mittitur, ad Reipublicæ ſtatum explorandum. In hoc Herodis Magni pronepote, regium Idumæorum nomen deſinit, & omnis potentia Palæſtinæ, Romanis cedit, Veſpaſiano & Tito imperantibus, qui templum Dei, vrbem regiam, ipſam gentem Iudaicam (non deditam ſacris incerti Dei, vt incautè Lucanus: nec ſuperſtitioni, aut ſeruituti natam, vt imperitè Cicero: ſed ab initio liberam, & Dei æterni cultricem, eiq; ante omnes charam) funditus propemodum euerterunt. Titi arcum marmoreum, de gente Iudæorum domita, & vrbe Ieroſolyma deleta, iuxta forum Romanum, è Capitolij regione, in hunc diem extantem, ipſe vidi: iræ videlicet Dei aduerſus populum contumacem, monumentum perpetuum.

SECTAE ILLORVM TEMPORVM.

430. NAZARAEI.

NAZARAEI *certæ profeſſionis homines, qui apud Prophetam Amôem voce diuina*

uina laudantur. nam inter cætera beneficia, quæ in populum Deus contulerat, obijcit ei, quòd inter filios, excitarit Prophetas: & inter iuuenes, Nazareos: ſed contrà exprobrat, quòd & Prophetas docere prohibuerit: & Nazaræis propinauerit vinum. Ipſi quidem ab alijs pijs non diſſentiebant doctrina, ſed cultibus quibuſdam ſeuerioribus, ad quos votis obſtricti, & conſecrati erant: ne videlicet cæſariem tonderent, ne funeribus intereſſent, ne cadauera attingerent: vt ab omni cibo ac potu, qui aut ad libidinem corpus, aut animum ad intemperantiam incenderet, quaſi inſtrumentis luxuriæ, abſtinerent. Talibus votis ſe obligabant Deo, aut ſinguli homines, vt Simſon fecit, & Samuel: aut totæ familiæ, vt domus Rechabitarum apud Ieremiam. Eorum officium fuit orare pro multitudine, quales in vrbe Maſpha, ſæuiente Epiphane, Iudas Macabæus inſtituit. Progreſſu temporis hæc etiam diſciplina corrupta eſt: nam ex ea profecti ſunt turbatores, qui imponebant Chriſtianis neceſſitatem operum legis & circumciſionis: ſed eorum, vt & Phariſæorum ſententiam, in concilio Ieroſolymitano reijciunt Petrus & Iacobus Apoſtoli. Durauit ſecta Nazaræa vſq; ad ætatem Epiphanij, vt ipſe memoriæ prodidit.

431. PHARISAEI.

PHARISAEI *dicti, quaſi librorum ſacrorum interpretes, ſed diſcedentes à puritate prophetica, ſapientiam illam diuinam mutarunt in opera & ritus externos, quibus putabant legi ſatisfieri, et veniam culpæ ac criminum impetrari. Genus hominum eruditum, experiens, callidum, rebus alienis ſeſe ingerens, pecuniæ & gloriæ auidiſſimum, ſpeciem pietatis præ ſe ferens, à pietate omni alienum: regni Chriſti neſcium, donorum ſpiritus ſancti ignarum. Nomen Dei vſurpabant ore; negabant moribus, irridebant pectore. Abolebant leges à Deo traditas, ſubijciebant ſuas: tollebant honorem parentum, magnificabant auctoritatem propriam. Verbenas & herbas decimabant, obliti fidei & miſericordiæ: ſacrificia habebant pro piaculis: ſuo arbitrio initium ſalutis, ſuis meritis cœlum aſſignabant: paupertatem ſimulabant, ſed prætextu precum & abſtinentiæ deuorabant pias familias & bona viduarum. Docebant contemptum honorum, & primos accubitus, primosq; gradus expetebant: veſtitu oues, animis lupi: foris ſpecioſi phylacterijs, fimbrijs, corymbis: intus lutulenti, & fœdarum libidinum pleniſſimi. Pura vaſa, & manus lotas probabant, immerſi luxui & ſordibus. Segregati à vulgo, in aulis primi. Alebant factiones, ſuſcitabant bella: interim patres & doctores, quorum munera pietate & officijs ſpectantur, dici volebant: errorem aſtrologorum*

de fato

de fato ſequebantur: vt Iohannes Damaſcenus & Paulinus ſcribunt. Ieiunijs ad arrogantiam, eleemoſynis ad oſtentationem vtebantur: aduentum Meſſiæ expectabant, nō vt per eum ſalutem conſequerentur, ſed vt gentium domini fierent. Chriſtum Meſſiam concionantem, appellant dæmonum ſocium, precio illum emunt ad mortem, damnant vociferationibus iniuſtis coram Pilato: eius diſcipulos oderant, & omni ſuppliciorum genere tollebant. In Euangelicis concionibus ſuperbia, profanitas, auaricia, cæcitas eis obijcitur: generatio praua, degener, viperina nominantur. Ab eorum fermento, doctrinaq; cauendum, Chriſtus admonet: ipſos deniq; viuentes propter contumaciam, ignibus æternis addicit. E Phariſæorum collegio Paulus fuit Apoſtolus, & ex ijs Nicodemus ſe docilem Chriſto præbet: Gamaliel, pro Apoſtolis ſapienter loquitur.

432. SADDVCAEI.

SADDVCAEI *à propria iuſticia nomen ſumpſerunt, homines arrogantes, contentioſi, pertinaces. Aſſerebant nullam eſſe mortuorum reſurrectionem, vt Matthæus & Marcus: nullum angelum neque ſpiritum, vt Lucas teſtatur. Nullas ceremonias obſeruabant, niſi legis: nullos libros è ſacris admittebant, præter Moſis, ſed malè intellectos. Vita eorum ſecura & effrenis,*

vt qui nec Dei haberent noticiam, nec crederent futurum iudicium: minus erant eruditi, quam Phariſæi, ſed magis potentes et turbulenti. Damnabant alias ſectas, tanquam nimium onerosas & ſeueras. Deum placandum aiebant ſacrificijs & legis obedientia, ne à populo tolleret promiſſiones ampliſſimas: pœnam delictorum eſſe, calamitates publicas: vindices licentiæ, leges præſcriptas: pœnas poſt hanc vitam nemini amplius vllas imminere. Erant Phariſæorum graues aduerſarij, in vno Chriſto perſequendo, vnanimes et coniuncti. Pontificatum, cùm cœpit eſſe vendibilis, multi è Sadducæis tenuerunt: è quibus Caiphas Chriſtum percuti ante tribunal patitur, idemq; cum ſua factione Petrum & Iohannem in vincula conijcit. Ananias Paulo incuti colaphum iubet: eius filius patri cognominis, Iacobum fratrem Domini, præcipit de templo deijci, & lapidatione occidi. Sadducæos appellat Iohannes Baptiſta partus viperinos eosq; ad pœnitentiam adhortatur. A fermento quoq; eorum Chriſtus deterret auditores ſuos atq; diſcipulos.

433. ESSAEI.

ESSAEI *quaſi operarij ſeu inquiſitores, nomen in hiſtoria ſacra habent planè nullum, in aliorum omniũ ſcriptis plurimum. Auerſabantur Phariſæos, tanquam ſimulatores: oderant*

rant Sadducæos, tanquam profanos & leues: ſolis ſibi excellentiæ & ſanctimoniæ titulum attribuebant: remoti à frequentia, ſeceſſuum & ſolitudinis cultores, hortis colendis & ſtudijs naturæ intenti. Nomine inter ſe fraterno ſalutabant, vt ſcribit Tacitus: ſine fœmina, & cunctis cupiditatibus viuebant, vt Martianus: ſine pecunia, vt Plinius: ſine ſeruitijs, vt Ioſephus. In eorum collegium admittebatur nemo, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequebatur, vt Solinus. Victus eorum, herbæ & fructus arborum: potio, aqua profluens: animales enim cibos, luxus incendia: luxum ipſum, quaſi peſtem fugiebant. Proprij poſſidebãt nihil, non domum, non penum, non veſtem, non vaſculum: nec à ſummo infimus in re vlla defraudabatur. Pauperum liberos alebant, & ſuis imbuebant legibus atq; moribus. Scribit Porphyrius diuino cultui fuiſſe intentiſſimos, adeò vt ſe occidi paſſi ſint, antequàm deflecterent à propoſito: tantæ æſtimationis apud vniuerſos, vt nullus vnquam hoſtis fuerit tam ferus, qui auſus ſit eis nocere: nullus ſophiſta tam malus, qui aliquod crimen obijcere. Philo & Euſebius illis attribuunt amorem Dei ardentem, virtutis cultum puriſſimum, caritatem erga omnes homines effuſam. Omnibus domicilium commune, opera communi parta in medium afferebant, communis curatio, commune mortuis ſepulchrum. Tanta eorum multitudo

fuit, vt pro ſingulari gente, non verè tamen, ab aliquot ſcriptoribus ſint habiti. Ex Eſſæorum numero prodijt Iudas, vir ſceleratus & ſeditioſus Archelai temporibus. Durarunt vſq; ad Epiphanij tempora, poſterioribus quaſi defoſſi atq; tumulati. Eò ſuperſtitionis venerunt, vt nullum librum obſeruarent, niſi Petri epiſtolas, vt eſt apud Theodoretum.

434. HERODIANI.

HERODIANI *inimicum & exoſum habebant, quidquid cum eorum ſententijs prauis, & cum aperta tyrannide, quoquo modo pugnaret. Intelliguntur autem per eos miniſtri regum Idumæorum, & auctores ac ſectatores religionis contaminatæ: vndè à tali fermento & corruptela Chriſtus præcipit cauendum, apud Marcum. Obſeruabant circumciſionem, nec collocabant filias niſi circumciſis: cumulabant ritus, & ſacrificia, & dies ſolennes. Ridet eos Perſius, quòd vngerent feneſtras, lucernas diſponerent, piſcium catinos, fidelias vini Romæ circumferrent. Sacerdotes non quidem vi expellebant, ſed ſtipendijs detractis eripiebant victum. Ornabant templa, deſtruebant doctrinam: orabant motu labiorum & pedibus nudatis, ſed populi ora ſtringebant, & calcibus ferratis colla premebant. In theatris erant mimi, in ſacrario flamines:*

flamines: ad fallendum vulpes, ad dominandum leones. Regi deferebant omnia, cui ſeruiebant. Deo conditori & præſidi gentis, non dabant quæ deberent, ſed quæ ſibi placerent: eidem Ieroſolymis donaria ponebant in templo: item in Capitolio Romæ anathemata Ioui ſuſpendebant. Cum Phariſæis, & Sadducæis colludebant, vt ipſis commodum videbatur. Diſputationi de cenſu, ad Chriſtum irretiendum intererant: admittebant ſæpe ſermones piorum, ſed cùm obiurgatores fierent, eoſdem exterminabant, aut de vita tollebant. Herodem Magnum, pro Meſſia venerabantur ex ijs nonnulli: eius nepotem, populus Deum ſalutabat in Theatro. Hæc Eſaui poſteritas impia & verſatilis, nationi Iudæorum & omni populo, extrema calamitas fuit. Ex Herodianis miniſtris ad Chriſtum accedunt duo Capernaitæ: Centurio, rogatum ſalutem ſeruo: aulicus quidam, ſuo filio.

INDEX IN HISTORIAS SACRAS, SECVNDVM NVMERVM HISTORIARVM.

A.

AAron 63
Abdias aulicꝰ 164
Abdon dux 86
Abednego 276
Abel 4
Abeſan dux 86
Abia rex 196
Abias ſacerdos 99
Abiathar 126
Abigail 118
Abihus 64
Abimelechus rex 24
Abimelechus tyrãnus 82
Abiron 69
Abiſaius 114
Abner 105
Abra 267
Abrahamus 19
Abſolon 121
Achabus rex 160
Achabus pſeudopropheta 258
Achanus 72
Achas rex 216
Achiacharus 223
Achimaas 128
Achimelechus 107
Achior Ammonita 265
Achitophel 136
Adadus 147
Adamus 1
Adonias 122
Adoniramus 150
Aegyptij 387
Agar ancilla 22
Agrippa II. 429
Ahias propheta 152
Ahichamus 248
Alcimus ſacerdos 348
Alexander I. 397
Alexander II. 404
Alexander III. 416
Alexander Macedo 302
Alexander Syrus 350
Alexandra I. 398
Alexandra II. 407
Amalechitæ 380
Amarias ſacerdos 101
Amaſa 116
Amaſias hypocrita 184
Amaſias rex 211
Aminadabus 55
Aminadabus hoſpes arcæ Domini 98

Ammonitæ

Ammonitæ 377
Amnon 120
Amon rex 235
Amorrhæi 367
Amos propheta 185
Amramus 54
Amrius rex 159
Anamehel 242
Ananias pſeudopropheta 249
Andronicus 316
Anna Samuelis 96
Annon Ammonita 143
Antigonus I. 395
Antigonus I I. 405
Antiochus Epiphanes Syrus 313
Antiochus Eupator 340
Antiochus Magnus 308
Antiochus Pius 356
Antiochus Entheos 354
Antiochus Grypus 361
Antiochus Aſpōdius 362
Antipater Idumæus I. 408
Antipater I I. 418
Apollonius 329
Apollonius Demetrij legatus 353
Arabes 390
Arabiæ regina 146
Arbaces Medus 263
Archelaus 419
Ariochus 275
Ariſtobulus I. 394
Ariſtobulus I I. 400
Ariſtobulus I I I. 406
Ariſtobulus I I I I. 415
Artaxerxes I. Perſa 287
Artaxerxes I I. Perſa 295
Aſa rex 197
Aſahel 115
Aſſarhaddon Aſſyrius 227
Aſer 42
Aſpenas 274
Aſſidæi 328
Aſſyrij 391
Athalia regina 207
Azahel 181
Azarias propheta 199
Azarias ſacerdos 214.

B.

Babylonij 388
Bacchides 347
Baëſa rex 155
Balſaar Aſſyrius 278
Banaias heros 141
Barcillaius 133
Baruchus propheta 259
Bathuel 27
Bathſabea 119
Benhadadas I. 167
Benhadadas I I. 182
Beniamin 45
Bileamus 67
Boozus 93.

C.

Cainus 3

Caiphas 424
Calebus 75
Callisthenes 335
Cambiſes Perſa 282
Ceilenſes 382
Chamus 11
Chami nepotes & poſteri 366
Chananæi 369
Chores 68
Chuſaius 132
Cinæi 375
Cyrus Perſa 280.

D.

Dan 40
Daniel propheta 271
Darius Medus 279
Dathan 69
Dauid rex 110
Delbora prophetiſſa 80
Demetrius Nicator 352
Demetrius Soter 346
Dina 34
Doëgus 106
Doſitheus miles 334
Doſitheus legatus 338.

E.

Ebedmelechus 252
Eber 15
Efraimus 47
Ehudus dux 78
Eleazar ſacerdos 65
Eleazar heros 139
Eleazar ſummus ſacerdos 307
Eleazar Mattathiæ filius 326
Eleazar martyr 319
Elias propheta 162
Eliaſibus ſummus ſacerdos 297
Eliezer Abrahami famulus 26
Eliezer propheta 204
Eliſæus propheta 172
Eliſæi diſcipuli 173
Ella rex 156
Elon dux 86
Enos 6
Enochus 7
Ephron 25
Eſauus 36. 22
Eſdras ſacerdos 293
Eſſæi 433
Eſther 288
Ethaius 131
Eua 2
Ezechias rex 218.

F.

Filius Selomithidis 70
Fœmina Sunamis 168
Fratres ſeptem martyres 321.

G.

Gabaonitæ 74
Gad 42

Gadus

Gadus propheta 124
Gedalias 255
Gehazus 169
Gergeſæi 371
Gideon 81
Gigantes 363
Goliadus 111
Gorgias 333

Iahel. vide in Debora

H.

Habacuchus ꝓpheta 234
Hadadezer 142
Haggæus propheta 285
Hamanus 291
Hanan propheta 199
Harbona 292
Hatachus 289
Helcanas 94
Helchias ſacerdos 237
Heli ſacerdos 88
Heliodorus 310
Herodes I. 412
Herodes II. 421
Herodes III. 427
Herodes IIII. 428
Herodiani 434
Herodias 422
Hethæi 370
Heuæi 372
Hezechiel propheta 261
Hiramus artifex 149
Hiramus rex Tyrius 144
Holofernes 264
Horræi 379
Hoſéas propheta 232
Hoſeas rex 193
Hyrcanus 399

I.

Iacobus 36
Iaddus ſacerdos 303
Iahaziel propheta 203
Iair dux 84
Iambrij 393
Iamnij 392
Iaphetus 10
Iaſábeamus heros 138
Iaſon ſummus ſacerdos 314
Idumæi 378
Iebuſæi 373
Ieconias rex 250
Iehus prôpheta 202
Iehus propheta martyr 157
Iehus rex 178
Iephta dux 85
Ieremias propheta 254
Ieroboamus rex I. 151
Ieroboamus II. 183
Ietro ſacerdos 57
Iezabel 161
Infantes martyres 320
Ioabus 113
Ioachas rex Iſr. 179
Ioachas rex Iudæ 244
Ioachimus rex 245
Ioachimus ſacerdos 269
Ioas rex Iſr. 180
Ioas rex Iudæ 208
Iobus 31
Iohanan tyrannus 257

Iohannes

Iohannes Mattathiæ 323
Iohannes Hircanus 357
Iohel ſacerdos 99
Iohel propheta 233
Ioiadas ſacerdos 209
Ionas propheta 186
Ionathas Sauli 102
Ionathas ſacerdos 128
Ionathas Matthatiæ 327
Ioppenſes 392
Ioramus rex Iudæ 205
Ioramus rex Iſr. 177
Ioſaphatus rex 200
Ioſephus Iacobi 44
Ioſephus dux 336
Ioſias rex 236
Ioſippus 410
Ioſua dux 76
Ioſua ſacerdos 284
Ioſua Siracides 306
Iothamus rex 215
Iothanes 90
Iſaacus Abrahami 28
Iſaias propheta 230
Iſaius 109
Iſaſchar 43
Isboſedus 103
Iſmaël Abrahami 23
Iſmaël tyrannus 256
Iudas Eſſæus 396
Iudas Iacobi 39
Iudas Matthatiæ 325
Iudas Simonis 359
Iuditha 266.

L.

Laban 32
Lamechus pius 9
Lamechus impius 8
Leui 38
Lia 33
Lothus 21
Ludus Imperatorius 273
Lyſias 330
Lyſimachus 317

M.

Maleachus propheta 301
Mambres 25
Manahemus rex 189
Manaimus Eſſæus 401
Manaſſes Ioſephi 46
Manaſſes rex 229
Manaſſes ſacerdos 300
Mardachaius 290
Maria 62
Marianne 414
Mater Hyrcani 358
Matres & infantes martyres 320
Matthatias 322
Matthatias Simonis 360
Menelaus ſacerdos 315
Merodachus Aſſyrius 277
Merodachus Babylonius 228
Meſach 276
Michal 117
Micheas propheta 174
Midianitæ 374
Mille martyres 318

Miphiboſcdus 104
Moabitæ 376
Moſes 60.

N.

Naas Ammonita 101
Naaſſon 56
Nabal 112
Nabathæi 345
Nabothus 165
Nachor 18. 19. 22
Nadabus Aaronis 64
Nadabus rex 154
Nahaman Syrus 171
Nahumus propheta 231
Nathan propheta 125
Nathanes 123
Nazaræi 430
Nebucadnezar Aſſyrius 272
Nechaus Aegyptius 247
Nehemias 296
Neptalim 41
Nicanor legatus Demetrij 349
Nicanor Patrocli 332
Nimrodus tyran. 14. 10.
Noa 10
Noëmis 91

O.

Obabus 59
Obadias propheta 260
Obedpropheta 192
Ochozias rex Iudæ 206
Ochozias rex Iſr. 176
Ochus Perſa 299
Olda prophetiſſa 239
Onias pater 304
Onias nepos 311
Onias phariſæus 402
Ophnius ſacerdos 97
Othoniel dux 77
Oza 129
Ozias dux 268
Ozias rex 213.

P.

Paſſur hypocrita 240
Peca rex 191
Pecaia rex 190
Pelatias 262
Penina 95
Peres 49
Petronius 426
Phalechus 16
Pharao pius 51
Pharao impius 52
Phariſæi 431
Phaſelus 409
Phereſæi 368
Pheroras 411
Philippus 420
Philippus Phryx 341
Philiſtini 381
Pinehas Eleazaris 66
Pinehas Heli 97
Pontius Pilatus 425
Populus in mari 61
Populus in deſerto 71
Potiphar 50

Propheta ignotus ad Amaſiam 212
Propheta ad Ieroboamū miſſus 153
Propheta ad Achabum miſſus 166
Ptolemæus Macron 342
Ptolemæus Philometor Aegyptius 351
Ptolemæus Phæniciæ 343
Phua obſtetrix 53
Pueri Bethelenſes 171.

R.

Rachel 35
Raguel 224
Rahab 73
Rebecca 29
Rechabitæ 243
Rechabeamus rex 194
Rezon 148
Riſpa 108
Ruben 37
Ruth 92

S.

Sacerdotes milites 337
Sachanias 294
Sadducæi 432
Sadochus 127
Sadrach 276
Salome tyranna 413
Salome ſaltatrix 423
Sallumus rex 188
SalmanaſſarAſſyrius 219
Samaritani 386
Sameas phariſæus 403
Samgarus dux 79
Samma 140
Samrius rex 158
Samuel propheta 89
Sanheribis Aſſyrius 220
Sara Abrahæ 20
Sara Raguelis 225
Saraias 281
Sarchedon Aſſyrius 226
Saulus rex 100
Scythopolitani 344
Seba 137
Sedechias hypocrita 175
Sedechias pſeudopropheta 258
Seleuc⁹ Philopator 309
Semeias pſeudopropheta 241
Semaias Delaiæ 298
Semeas phariſæus
Semeias propheta 195
Semeius 135
Semus 13
Sero 330
Serubabel dux 283
Sesbaſar 28
Sethus 5
Siba 134
Sichemitæ 365
Sidonij 384
Simeon Iacobi 38
Simon Matthatiæ 324
Simon proditor 312
Simon ſacerdos 305
Simrius rex 158

Z Simſon

Simſon dux 87
Siphra obſtetrix 53
Sodomæi 364
Siſara uide in Delbora
Solomon rex 45
Soſipater legatus 338
Suſanna 270
Syrij 389.

T.

Tero miles 417
Thamar 48
Thara 17
Tholas dux 83
Timotheus Gennæus 339
Tobias pater 221
Tobias filius 222
Trypho Syrus 355
Tyrij 385

V.

Vidua Sareptana 163
Vrias heros 130
Vrias hypocrita 217
Vrias propheta martyr 246.

Z.

Zacharias propheta 286
Zacharias rex 187
Zacharias ſacerdos martyr 210
Zebulon 43
Zedechias rex 253
Zephonias propheta 238
Ziphæi 383
Zipora 58.

II.

INDEX EORVM QVAE IN HISTORIIS CONTINENTVR, SEcundum numerum paginarum.

A.

AAron 40. 44. 48. 49. 50. 66. 94
Abatis 45
Abel 3. 5. 149
Abela oppidum 101
Abia rex 119. 139
Abiathar 67. 92. 94. 95. 99. 100

Abiahıl

Abiahil 204
Abigail ſoror Dauidis 87
Abigail vxor Nabalis 85
Abimelechus 20. 62. 68. 257
Abinadadus
Abiſaius 104.
Abner 78. 86. 87
Abraham 13. 16. 17. 14. 15. 19. 20. 27. 216. 259. 260. 264
Abrahami ſepulchrũ 14
vxor 18
Abſolon 83. 86. 90. 94. 95. 97. 98
Accaron oppidum 233
Accaronitæ 88
Achabus 115. 117. 118. 119. 124. 125. 127. 141 144. 266. 276. 305
Achas 135. 163. 276
Achiacharus 158. 160
Achimelech* 67. 80. 94.
Achinoë Dauidis vxor 90
Achior Ammon 189
Achitobus 67. 94
Achitophel 97
Achor vallis 54
Achſa 57
Adadezer rex 276
Adadus 268. 269
Adar mulier 269
Adonia 56. 95. 101
Adoramus 137
Adramelechus 156
Aegyptus 15. 18. 27. 32 38. 41. 42. 46. 106. 109. 172. 174. 175. 181. 183. 184. 202. 215. 223. 241. 248. 264. 266. 302. 305
Aegyptij 9. 14. 27. 43. 45. 151. 165. 187. 290
Aethiopia 201
Aethiopes 9. 272
Africanus 31
Agar 19
Agagus rex 270
Aga 102
Agis vxor Dauidis 91
Agrippa 305. 308. 315. 321
Ahaſuerus 198. 209
Ahia 111. 112
Ahias propheta 109
Ahichamus 181
Alexander Magnus 215. 218. 273 (311
Alexander Herodis 305.
Alexader rex Syriæ 233. 244. 248. 249. 250. 251. 290. 292. 309
Alexander II. 300
Alexandra I. 300
Alexandra II. 305
Alexandria vrbs 215
Alexandrini 301
Alcimus 234. 244. 258
Allophili 271.
Amalachitæ 43. 53. 67 83. 265. 266

Amanes 159
Amathus 132
Amaſias 128. 131. 150
Amaſa 86
Aminadabus 36. 40. 90. 96
Ammon 267
Ammonitæ 16. 63. 64. 77. 83. 86. 89. 104. 141. 151. 173. 182. 187 223 231
Amon rex 167
Amorrhes 259
Amorrhæi 258
Amos propheta 130. 131. 273. 323
Amoſis 37
Amoſus 163
Amrius 273
Amynthas 214
Anahel 158
Ananelus 299
Ananias 327
Anathotus 33
Anathus 59
Andronicus 220. 224
Andreas apoſt. 31
Anna pontifex 316
Anna Helcanæ 71
Anna Phanuelis 31
Anna Tobiæ 158
Annon Ammonita 86. 267 (191. 222
Antichriſtus 30. 146.
Antigonus 215. 288. 289. 302. 303. 311
Antiochus Cizycenus 255. 288
Entheos 217
Grypus 253
Epiphanes 236. 240. 241. 242
Eupator 236
Magnus 217. 218. 219. 221. 223. 224. 229. 231. 234. 235. 244. 247. 250. 251
Antipater 215. 290. 294 302. 305. 309. 311
Antiochea 222. 26. 241. 250. 248. 249. 297
Antiocheni 247. 305
Antipas 319
Antonius 294. 298. 302. 304
Apollonius Mneſthei 223. 229. 231
Apollo æditūus 300
Appianus 218. 219. 235. 244. 250. 255
Arabia 17. 187. 223. 229. 248
Arabiæ regina 105. 277
Arabes 18. 22. 141. 144. 145. 231. 290. 294. 304
Aradus rex 262
Aramæi 276
Aramus 36. 276
Archelaus 309. 311. 313
Areta rex 292. 295. 313

Areus rex 216
Arimathæa 34
Ariſtobulus 289. 292. 293. 297. 299. 300. 301.305.308.314.319
Armenij 10. 255
Arpa 69
Artaxerxes 205. 208. 211. 212
Aſa rex 112. 119. 140. 141
Aſæ foſſa 182
Aſcalon vrbs 233
Aſcalonitæ 65
Aſenethe Ioſephi coniunx 34
Aſia 216. 223. 302
Aſinius 293
Aſinius Pollio 308
Aſmonæa gens 306
Aſmonææ familiæ interitus 298. 300
Aſphaltites lacus 257
Aſphar lacus 233
Aſſaphus 143
Aſſidæi 229. 245
Aſſur 277
Aſſyrij 10. 31. 164. 165. 178. 266
Aſſyria 14. 31. 132
Aſtartæ fanum 105
Aſtyages 198
Athalia 144. 147
Athenobius 251
Athenæ 254
Azahel 116. 119. 126. 128. 130. 131. 145. 276
Azarias dux 237. 238
Azotus vrbs 233. 249
Azur 176.

B.

Baalis fanum 146. 115
lucus 60. 146
ſacerdotes 127
ſtatua 147. 152
Babylon 11. 14. 166. 169. 170. 171. 176. 177. 179. 181. 192. 197. 201. 205. 206. 275. 276. 300
Babylonij 155. 166. 198
Babylonius ſerpens 191
Bacenor 237
Bachi Orgia 242
Bacchides 229. 230. 232. 233. 243. 244
Bactriani 10
Baëſa 111. 112. 119. 139. 276
Bagoas 212
Balachus rex 41. 49. 266
Baladanus 161
Balſaar 191
Banaias 186
Barachias 147. 172
Baracus 59. 267
Barcillaius 99
Barrhabas 318
Baruchus 171. 173
Bedan 65
Beelzebub Deus 125
Beher 164
Bena-

Beniamin Iacobi 27.29.
30
Benhadadus 112.114.
116. 118. 126. 128.
129. 139. 141. 168.
273. 276
Beor 49
Berechias 203
Berenice 308.320.321
Berrhæa vrbs 224
Berſabea 83.92.105
Bethel vrbs 25
Betheron 165
Bethlehem vrbs 25. 69.
87. 305
Bethulia 187.189.190
Bezegus rex 261
Bileamus 13. 41. 43.
267
Bilha 26. 28. 30
Bichrus 100
Boozus 69
Buſyris rex 274.

C.

Caathus 39
Cades vrbs 46
Cambiſes 201
Calebus 53. 57. 85
Cæſares
Iulius 294. 301
Auguſtus 303. 304.
307. 311. 312
Tiberius 313. 318.
319. 320.
Caius 314.315.318.
319. 320
Claudius 319. 320. 321
Nero 321. 322
Veſpaſianus 322
Cæſarea 308. 320
Caiphas 327
Cain 5. 6. 7
Capernaitæ 330
Capitolium 322. 330
Carchami campi 174
Cariathiearima vrbs 73
Carmelus mons 271
Carrhæ vrbs 13
Caſpini 239
Caſianum caſtellum 250
Ceilenſes 83
Celaias 183
Cendebæus 252
Cenezus 57
Centauri 263
Cetura 265
Chaldæa 13. 14. 166
Chaldæi 10. 13. 14. 22.
783. 191
Chamaan 98
Chamus 11. 260. 261.
270
Chamos Deus 267
Chanan 258. 260. 261.
262. 263. 264.272
Chananæa 9. 14. 20.
22. 33. 44. 45. 55.
269. 278
Chananæi 14. 27. 53.
265
Chebron vrbs 262
Chermau mons 263

Chores

Chores 51
Chriſtus 33. 34. 36. 43. 44. 45. 66. 69. 84. 92. 105. 106. 116. 124. 131. 132. 149. 164. 165. 185. 203. 213. 260. 263. 272. 273. 274. 277. 305. 312. 313. 316. 317. 326. 327. 329. 330
Chuſan rex 58. 276
Chuſus 11. 169
Chuſaius 100
Cilicia 14. 187. 248. 255. 297
Cinæa gens 43
Ciriathbahal vrbs 33
Ciſon torrens 59
Ciſſus 75
Cleopatra regina 247. 249. 299. 302. 313
Coloſſus Nebucadnezaris 194. 196
Cosbia 265
Cæleſyrij 226. 787
Cypris Arabica 300
Cyaxares 198
Cynæus 265
Cyprus 242
Cyrus 161. 191. 197. 198. 206. 201. 212. 275.

D.

Dagon caſtellum 253
Dagon Deus 73. 249. 270
Dalila 65
Damaſcus 107. 119 130. 152
Daniel 166. 173. 191. 193. 194. 195. 198. 199. 200. 214. 216, 222. 304
Darius 191. 199. 212
Dauid 34. 36. 38. 51. 54. 68. 69. 70. 73. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 82. 84. 85. 88. 89. 91. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 167. 208. 264. 265. 266. 268. 267. 271. 272. 273. 276. 277. 293. 316
Debira vrbs 57
Debora 157
Delaias 211
Delbora 20. 31. 59. 60. 262. 265
Demetrius 218. 230. 231. 233. 241. 246. 247. 248. 249. 250. 254
Deſertum Sinaicum 41
Diana Scythica 243
Dina 63
Dion 264
Dodanus 144
Dodus 101
Doëgus 81. 94. 268

Dora vrbs 251
Doſis 307. 310
Doſitheus 240. 293
Dothana vrbs 34
Druſilla 322.

E.

Eber 12. 13
Ebræi 12. 28
Ecbatana Mediæ 158. 159. 186. Syriæ 201
Edna 160
Edom 21
Edomitæ 378
Efraimus Ioſephi 273
Eglon rex 58. 266
Ehudus 33. 266
Eleazarus 44. 49. 56. 94. 271. 316
Eliachimus 173
Eliamus 89
Elias proph. 31. 35. 114. 115. 117. 122. 125. 127. 129. 144. 213
Eliadas 107
Eliazer 20
Eliunelechus 69
Eliſæus 34. 35. 116. 119. 120. 121. 123. 127. 128. 129. 276
Eliſeba 40
Ella 112. 113
Elnathan 174
Æmim gigãtes 264. 266
Emor 257
Enachim gigantes 263
Ephra vrbs 62
Ephron vrbs 231
Eſauus 20. 22. 268. 269. 330
Eſdra ſacerdos 204. 209. 210
Eſramus 36
Eſther 204
Euæi 258
Eupator 232
Euphrates fluuius 35. 103. 174. 177. 197
Euricles 309
Ezechias 153. 156. 161. 162. 163. 277.

F.

Feſtus libertinus 322.

G.

Gabaa 77
Gabaath 48
Gabaël 158
Gabinius 297. 301
Gabaonitæ 76. 81
Gabria 158
Gadarenus lacus 263
Gaddus 134
Gahal 62
Galaadítæ 231. 233. 290
Galilæa 30. 135. 230. 263. 288. 289. 301. 312. 313. 314
Galilæi 231. 304. 317

Galli-

Galli Allobrogos 313
Lugdunenſes 313
Gamaliel 326
Gamala vrbs 322
Gaza 290
Gazenſes 65
Gebeonithæ
Gebethon vrbs 111. 113
Gehazus 122
Gera 58
Gerara 18. 20
Gergeſæi 258
Gergeſeni 263
Gergeſes 263
Germani 10
Gibbon vrbs 264
Gibecnitæ 183
Gideon 35. 61. 68. 265
Gilead vrbs 63
Gileaditæ 64. 81
Gilead mons 24
Glaphyra 309. 311
Galiadus 82. 88. 271
Gorgias 231. 235. 237.
238. 268
Goſemus 211
Græci 10.106.198. 205.
229. 234. 240. 242.
270. 272. 287.

H.

Hachimon 101
Hadadezer 107
Haggæus 203. 204
Hai vrbs 55
Haitæ 54
Hamanus Macedõ 204.
205. 206. 207
Hanan propheta 142
Haran pater Lothi 16
Haran vrbs 13
Hazor vrbs 59
Heber 43. 60
Hebron 15. 55. 79. 231
Hela 361
Helcanas 71
Helchias 169. 180. 191.
209
Heli ſacerdos 67. 71.
72. 80. 94. 270
Heliabus 51
Helian 100
Heliodorus 219
Herodes 217, 268. 293.
294. 295. 296. 297.
298. 299. 301. 302.
303. 307. 311. 313. 318.
330. 308. 319.
Herodias 308. 313. 315.
Herodotus 205
Hethus 262
Hethæi 258
Heuus 263
Hezechiel 29. 179. 186
Hiericho vrbs 53. 230
Hira Cananæus 29
Hiſpania 314
Hiſtaſpes 204
Holofernes 188. 189
Hor mons 47
Horræi 22
Hoſeas 35. 135. 279
Hoſeas propheta 155

Hyrcania 212. 311
Hyrcanium caſtellū 311
Hyrcanus 291. 293. 295. 296. 298. 300. 301. 302.

I.

Iabe 133
Iabinus rex 30. 59. 262
Iabitæ 26. 77
Iacobus patriarcha 13. 20. 21. 23. 25. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 38. 45
Iacobus apoſtolus 29. 30. 131
Iabel 43. 60. 265
Iaddus 216
Iairus 206
Iambrij 230. 233
Iamnia vrbs 238
Ianneas 289
Ianneus 292
Iaſon Cyrenæ[9] 216. 224
Iberi 10
Iddo 201
Idumæa 303
Idumæi 22. 53. 83. 144. 149. 153. 238. 252. 290
Iebuſæi 258.
Iecanias 176. 197. 201
Iehiel 208
Iehuſus 112
Iehus 116. 126. 128. 145
Iemines 58
Iemla 124
Iephta 267
Iephona 55
Ieremias 29. 33. 168. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 177. 178. 179. 181. 183. 184. 185. 272. 275. 324
Ierobaal 60
Ieroboamus 110. 111. 131. 132. 133. 136. 137. 138. 167
Ieroſolyma vrbs 73. 138. 156. 162. 172. 204. 208. 209. 215. 230. 245. 261. 264. 322
Ietro 42. 265
Iezabel 127
Immerus 170
Ioabus 79. 87. 88. 91. 92. 97. 102. 104. 106. 264
Ioachas 175. 184. 275. 276
Ioachimus rex 174. 175. 176. 185. 275.
Ioachimus 191. 210
Ioas rex 92. 122. 129. 130. 146. 148. 149. 266. 276
Ioas Gideonis pater 60
Iobus 25. 269
Iochebedȝ 39
Iohannes apoſtolus 29. 303. 275. 327
baptiſta 29. 213. 313. 327

Iohannes

Iohannes Hyrcanus 274
278. 288. 289
Iohan. Ioiadæ 211. 212.
215
Iohel propheta 28. 32.
272. 277
Ioiadas 102. 146. 148.
212
Ionadab⁹ Rechabita 127
Ionathas 76. 78. 99
Matthatiæ 216. 230. 232
243. 245. 246. 248.
249. 250. 251. 252
Ioppe vrbs 233. 249
Ioram 115. 116. 119. 120.
127. 129. 144. 145.
147. 266. 276. 277
Iordanis fluuius 53. 57.
58. 116. 121. 122. 123.
230. 233. 258. 270
fons 14
Ioſabetha 146
Ioſadachus 203
Ioſephus Iacobi 27. 28.
29. 34. 36. 37. 38.
274
decurio 34. 318
præfectus 237
Mariæ 312
Ioſias 111. 172. 169. 178.
275
Ioſippus 298. 301. 307
Ioſaphatus 114. 116. 119.
124. 125. 142. 143.
144. 266. 267
Ioſua 33. 41. 45. 48. 53.
54. 55. 210. 262. 264
Ioſua Ioiadæ 211
Ioſua ſacerdos 161. 202
Iothan 62
Iozabadus 266
Iſaacus 13. 17. 18. 26
Iſaias propheta 61. 136.
155. 162. 168. 199.
248. 273. 277
Iſaius 70
Iſmaël Abrahami 17
Tyrannus 182
Itali 10
Ithamar ſacerdos 66. 94
Ichuræi 287
Iuba rex 311
Iudas ſacerdos crematur
305
Iudas ſeditioſus 328
Lebbæus 30
Maccabæus 229. 230.
233. 234. 235. 236.
237. 238. 240. 241
243. 244. 245. 278
324
Iacobi 24. 26. 33. 34.
36. 40. 53
Iudæa 29. 69. 110. 130.
147. 152. 155. 173. 181.
187. 193. 200. 211.
234. 235. 244. 245.
252. 291.
Iudæi 29. 182. 184. 197.
207. 209. 212. 215.
216. 222. 236
Iuditha 28. 187. 189 190

Iulia Auguſti coniunx 307
Iſraëlitæ 50
Iuppiter tyrannus 162. 267
Olympius 222
Capitolinus 217.

L.

Laban 24. 25
Lachis vrbs 149. 156
Lacedæmon vrbs 223
Lamechus impius 8
Lamyrus 292
Laſthenes Cretenſis 248
Leui 26. 34. 39. 40. 43. 50
Leucoſyrij 276
Lia 25. 27. 28. 31
Libanus mons 30. 263
Libya 201
Libna vrbs 156
Lothus 256. 257. 266. 267
Lyſanias 319
Lyſias 231. 240.

M.

Maacha Dauidis vxor 91
Maacha Abſolonis filia 140
Maaſias 153. 183
Maccabæi 130. 271
Macedones 23
Machetus vrbs 316
Mageddus 174
Magi Pharaonis 37
Perſarum 305
Mahometus 18
Malachia 116
Malachus 301
Mambres 260
Manahemus 133. 277
Manaſſes Ioſephi 228
Manaſſes rex 163. 215. 75
Manaſſes Iudithæ 188
Manoas 65
Mardachaius 33. 205. 207
Maria ſoror Moſis 40
mater Chriſti 312
Marianne 297. 300. 302. 303. 305. 308. 309. 312. 314. 322
Maſpha vrbs 324
Matthæus apoſt. 31
Matthanes 147
Matthias apoſt. 31
Matthatias 230. 232. 233. 252
Matthatias ſacerdos crematur 305
Mauri 9
Medaba vrbs 230
Medi 10. 136. 186. 278
Media 157. 158
Meraris 188
Merodachus 162. 171. 191. 275
Melite inſula 294
Melzaar 195

Menelaus 220. 222.223. 236
Meſa rex 266
Meſopotamia 13. 19. 20. 58
Meſopotamij 14
Meſraimus 270
Meſsias 13. 24. 27. 29. 31. 166.191.203. 325. 330
Meſsada vrbs 302
Metroëbus 306
Michal 81
Micheas propheta 114
Midianitæ 18. 53. 60. 265. 269
Miphiboſedus 99
Miſpha vrbs 33. 182
Miſpenſes 183
Moabus 266
Moabitæ 13. 69. 83.102. 106.125.126.128.141 173. 187. 267. 290
Modina vrbs 219. 232. 233
Molech Deus 162. 267
Mopſuheſtia vrbs 255
Moſes 29. 33. 40.41.42 43. 45.47.48. 50.51. 52. 56. 115.260.265. 270. 322.

N.

Naas 103. 267
Nabal 89
Nahathæi 219.277
Nabothus 114. 115. 126
Nabuzardan 178
Nachor 49
Nachordan 160
Nahaman 276. 120. 122
Nahū propheta 29. 136
Nasba 158
Nathan propheta 10. 89
Nathan Dauidis 90
Nazaræi 172
Nebathus 109
Nebucadnezer 162.175. 183. 191.273
Nebus mons 44. 192. 177
Nechaus Aegyptius 167. 172. 173. 175
Nehemias 211. 212. 283
Ner 79
Nerias 171
Nerus 184
Nethanias 182
Nicanor 240. 230. 231. 232. 235. 236. 237. 238. 244. 245
Nicodemus 326
Nicopolitani 305
Nilus 38. 40. 43. 274
Ninos vrbs 132.156.157 158. 159. 277. 278
Nephiim gigantes 264
Noa 8. 10. 258
Noadias 211
Nobenſes 80.81
Noëmis 69. 71. 268
Numidæ 9
Nunus 56

O.

Obedus 70. 81. 140
Obedus rex 290
Ochozias 92. 116. 126. 127. 141. 144. 146. 276
Odolla ſpelunca 101
Oggus rex 53. 269
Onias 217. 219. 221. 223. 248
Ophyra inſula 104
Oredus dux 1
mons 44. 116. 269
Orthoſias vrbs 251
Othoniel 85. 276
Ozias dux Bethulienſiũ 28. 188
Ozias rex 151. 152.

P.

Pacorus rex 293
Palæſtina 15. 29. 235. 294
Palæſtini 14. 18
Parthi 187. 251. 302
Patroclus 232. 236
Paulus apoſtolus 15. 21. 34
Peca 134. 135. 152. 277. 322. 326
Pentapolitani 256
Peres 40
Perezitæ 36
Perſæ 10. 190. 198. 205
Perſia 14. 241
Petrus apoſtolus 15. 17. 31. 50
Pharao 32. 40. 43. 45. 46. 47. 194
Phariſæi 165. 291. 320. 326
Phaſelis turris 02
Phaſelus 298. 301
Phatuel 165
Philippus 31. 214. 222. 640. 241. 311. 314. 315. 319
Philellen 287
Philiſtini 59. 63. 65. 67. 72. 76. 77. 83. 85. 97. 101. 102. 111. 141. 144. 151. 153. 217. 231. 258. 271. 273
Phænices 10. 199
Philometor 242
Phrahates 249. 293
Phulbelochus 277
Pilatus 314. 316
Pinehas 265
Polemo rex Ponti 320
Pollio phariſæus 296
Pompeius 255. 292. 294. 296. 297
Ptolemæus aulicus 224
Aegyptius 247
Antiochi 235. 253
Euergetes 207
Lathurus 290
Lagus 216
Lamyrus 290
Philadelphus 217
Phænicia 236

Pueri Bethelenſes 122.

R.

Rabſaces 154.156
Rachelis mors 26
Rachel 30.32.33
Rachuel 35
Raguel 160
Rahab 4
Rama vrbs 152.139
Ramatha 34
Raphaim gigantes 260
Raſis Syrus 135.152
Rebecca 13.19.24
Reblatha vrbs 172
Rechabitæ 324
Rehabeamus 138.162.
179
Rex Geſſurenus 91
Rex Seba 103
Rhodij 305
Roma 243.275.297.
312.313.318
Romani 230.131.233
270.274.293.298
Romelia 134
Roxane 303
Ruben 26.33
Ruth 69.266.

S.

Saba regio 106
Sachotenſes 61
Saducæi 328.330
Salathiel 201
Salmana dux 61
Salmanaſſar 136.156.
157.274.277
Salmon 41.70
Salome 291.303.309
Samaria 33.35.155.161.
212.304
Samaria vrbs 114.116.
119.127.133.136.145.
231.252.274.287.
288
Samaritæ 261
Samaritani 217.234.258
274.317
Samuel 29.33.34.66.
71.75.76.167.270.
271.273.324
Samgarus 271
Saneballa 211.213
Sanherib.157.160.161
Saphanus 175
Saphatus 122
Sara 19.24
Sara Raguelis 159
Saraceni 18
Sareſſar 156
Saraias 168.177.208
Saturnus 267
Saulus 33.66.67.68.
76.77.78.79.81.
82.86.88.94.99.
101.265.270.271.
272
Sauromatæ 10
Scipio Syriæ præfectus
297
Scythæ 10
Seba 86.88

Sebus dux 61
Sedechia 124
Seir mons 22.269.
Seleucus 215.218.220.
221.243
Semeius 86. 102
Semma 27
Sem 11.260.276
Semaias 174
Seon 53.260.200
Seraias 202
Serubabel 161.202.208.
210
Seſacus rex 138
Sero 231
Siba 79
Sibyllæ 275
Sicelecha vrbs 83
Sichema vrbs 137
Sichemitæ 62.68.218
Sichemus 257
Sidon 177.272
Silo Dei filius 27
Silo vrbs 30.66.70.71
Silpa 31
Simon Cananæus 30
Eſſæus 312
Iuſtus 220
Iacobi 26.27
Matthatiæ 223.224.
229.232.249.250.
251
proditor 219.220
Pontifex 314
Seruus 312
Simſon 219.213
Sina mons 44.48
Sin deſertum 46
Sion arx 264
Siſara 31.43.59.60
Sobachus 103
Sodoma 16.256
Sodomæi 14.16
Soëmus 367
Solomon 67.86.92.94.
95.98.100.102.104.
107.108.109.110.132.
154.179.168.273
Soſius 298
Soſtratus 224
Soſipater 240
Spartani 216
Statua ſalis 16
Stephanus 131
Studioſi cremantur 303
Sua 29
Suna oppidum 120
Sunamitis 92
Surus 265
Sytacides 216
Syrachus 217
Syria 22.33.104.187.
201.215.235.297.305
Syrij 10.30.83.85.104.
107.199
Syrophœnices 276.
T.
Tacit⁹ 217.277.292.328
Tarracha Aethiops 156
Thabor mons 44.116
Thamar 29.36
Thamaris 90

Thamnatenſes 65
Thaphnæ 181
Thapſenſes 134
Thara 16
Tharbis Aethiopiſſa 46
Tharſa vrbs 113
Tharſus 132
Thebe oppidulum 62
Theudas Magus 312
Thibnius 114
Thomas apoſtolus 31
Thraſea 234
Thrachonites 313
Thraces 10
Tigranes 309
Tiglatphilaſſar 135. 277
Timotheus 231. 239. 267
Tobias 31. 35. 158. 159. 210. 211
Tobuel 157
Tripho 233. 249. 250. 251
Triton Deus 270
Tyrii 67. 224. 272.

V.

Valerius Gratus 317
Veneris ſacra 242
Vogeſes Pers 212
Vienna vrbs 312
Vitellius præſes Romanus 317. 318
Vria 83. 149
Vrias propheta 173
Vſitæ 22.

Z.

Zabadia 142
Zabud Arabs 248
Zacharias 33
Zacharias rex 33
  pater Iohannis 29. 305
  propheta 143. 147. 151. 204
Zacharias dux 238
Zambrius 49
Zamzumim gigãtes 267
Zara Iudæ filius 36. 53
Zara rex Aethiopum 139
Zaruia 85. 86. 87
Zebus dux 61
Zebina 254
Zechrius homicida 153
Zedechias rex 177. 181. 185
Zeno tyrannus 153
Zephonias propheta 28. 171
Ziphæi 83
Zipora 41

INDEX DOCTRINAE ET EXEMPLORVM, SECVNDVM PAGINArum numerum.

A.

Accuſatio iniuſta 201. 307
Adminiſtratio vnius 41
Adoratio 255
Afflictio piorum 20. 22. 26. 32. 43. 44. 45. 157. 199
Alia conueniunt aliis 98
Ambitio 50. 325
Amicus fidus 97. 104
perfidus 88. 230. 250. 299
Amicitiæ violatæ 251
Amicorũ luct⁹ 26. 88. 47
Amor maternus 91. 253
Amor facit inſanos 105
Angeli hominum admonitores 125
aduerſarii malorum 42. 50. 320
altores 195
comites 26. 157. 158
conuiuæ 14. 15
conſultores 17. 93
cuſtodes 14. 16. 158
defenſores cõiugũ 158
familiares 17
liberationis nuncii 158
medici 157
pronubi 159. 160
ꝓpugnatores 154. 156
tutores 14. 15
vates 16. 17. 65
Antichriſti effigies 222
Antichriſti mater 146. 192
Arcus cœleſtis 8
Arrogantia 17
Aſperitas odium parit 305. 310
Auaricia 85. 237
Audacia ſcelerum 7
Aurum corrumpit homines 225. 237. 288. 294
Auxilium Dei 141.

B.

Bellum maximum 40
temerarium 174. 240. 267
Beneficiorũ memoria 206
Beneficiũ opportunũ 98
Beneficium dare & auferre 299
Bono nihil mali 22. 40. 202. 211. Vide Pii.

C.
Calamitas 42
Calliditas 54.77
Chriſtiani affliguntur 198. 225. 259
Chriſtus colapho percuſſus 317
eiicit dæmonia 263
ad Caiphã deduct⁹ 317
Pilatum 316
cæſus virgis 317
ex Aegypto in Galilæam reductus 312
inſidiis expoſitus 305. 314
dict⁹ Samaritanus 274
ſputo fœdatur 317
ſubſannatus 314
damnatus 225
Chriſti imago Iſaacus 20
Ioſephus 33
Simſon 66
Circumciſio 14
Clades inuſitata 60. 61. 65.84
Cladib. fieri ſapiẽtes 236
Clementia 160
Cœtus diſcẽtiũ 123. 305
Concionatores 117
Conſilium malum 110. 159. 243. 268
Conſilia prudentum 35. 41. 291
Conſcientia 3. 7. 113
Conſtantia 4
Conuicium 239
Crudelitas 241
in ſubditos 224. 305
in pios 224. periculoſa 244. 278
inuiſa omnib. 290. 305
Crudelitatis genera 207 226. 227. 225. 228. 230. 244. 271. 290. 293. 294. 295. 298. 300. 301. 302. 309. 310
Cultus diuini profanatio 61. 324. 325
Cupido regnãdi dementat 287
D.
Dedicatio aureæ vitis & coronæ 294
catenæ aureæ 320
Defuncti lugendi 25. 27. 46. 244
Deus afficitur hominum miſeriis 16. 55
ab inimicis liberat 30. 272. 319
à tyrannide defendit 38. 297. 306
punit 273
tyrannos impedit 40. 240
reges flectit 193. 306
ignoſcit 52. 83. 168
miſeretur omnium 29
tuetur ſuos 32. 40. 44. 55. 95. 83
ſuis eſt præſens 26. 53
odit calumniatores 37.

tribuit potentiam 36. 193. 319
curat contemptos 40. 47. 64
extollit humiles 75. 82. 131. 300. 319
alit 53. 116. 122
benefacit poſteris 39
non reſpicit perſonas 60. 296
ſibi fidentes ornat 26
terret hoſtes 238
nõ fruſtra minatur 111
vindex eſt iniuriæ 23. 169. 272. 296
contumacibus negat auxilium 63
tardus ad iram 259
Dei benedictio 37
Doctrina cœleſtis 37
Dei mãdata magis, quàm hominũ timenda 39. 206. 208. 258
Dei filius præſens eſt in afflictionibus 227
Dei cauſa cruciatus ferendi 227. 296
Deo nihil præſcribẽdũ 189
Deo accepta lenitas in miſeros 195
Deo obœdiendum 39. 60. 111
Deo nihil impoſſibile 14
facile vincere 14
Dei gentium 191. 274
Diabolus auctor peccati 1. 2
Diffidentia 302
Dignitatis reſtitutio 292
Diſcordia 292. 298
Diſſipatio gentium 8
Doctor fidus 8. 181. 184. 190. 192. 203. 226. 253. 257
execrabilis 50
Dolus muliebris 36
Dona Dei 106
Donis Dei abuti 259
Dux ex agro 43. 253
ex horreo 60.

E.

Eccleſia Dei inter impios affligitur 12. 22. 37. 80
Eccleſiæ conſtitutio 10. 11. 199
hoſpitium 11. 276
liberatio 205
Exempla adulationis 80
ambitionis 62. 50. 239 324
amici fidi 77. 86. 157
ſimulati 299
mali 318
animoſitatis 238
ancillæ fidelis 189
apoſtatæ 246
arrogãtiæ 22. 293. 326
auariciæ 23. 50. 74. 134. 211. 224. 237
beneficentiæ 158
bonitatis 195. 198. 271
caritatis 16. 157
caſtitatis 32

Conſtan-

Conſtantiæ 8. 196. 228
contemptus 22. 71. 278. 298
credulitatis 292
crudelitatis 222. 233. 234. 236. 241. 262. 267. 80. 114. 22. 26. 28. 92. 129
Diligentiæ 108
Diuinæ liberationis 45. 184. 188. 192. 196. 319
Diuinæ omnipotentiæ 50. 215
Ebrietatis 290
Fidei 16. 21. 32
Fidelitatis 21. 88. 206
Fortitudinis 47. 77. 47. 102. 232. 291. 310
Fraudis 23. 198. 230. 233. 245. 246. 304
Gratitudinis 19. 41. 72. 99. 157. 243
Hominum maleficorum 277
Hoſpitalitatis 18. 82. 243. 266. 257. 242
Humanitatis 61. 181. 117
Hypocriticæ Eccleſiæ 3
Ignauiæ 303
Impietatis 35. 162
Imprudentiæ 10. 292
Induſtriæ 101. 104. 304
Incredulitatis 55
Infelicitatis 68. 180
Ingratitudinis 85. 159 242. 249. 271. 297
Inhumanitatis 263. 269. 290
Iniuſticiæ 118. 182. 230. 296. 183. 308
Inobœdientiæ 21. 91. 132. 252
Inſtitutionis bonæ 43. 292
Impatientiæ 181
Iræ Dei 32. 262
Iuſticiæ ciuilis 18. 310
Lenitatis 122
Liberalitatis 127. 193. 219. 303. 305
Libidinis 7. 26. 49. 90. 247. 323
Maiorum 33. 229. 298
Magnanimitatis 62. 131
Miſericordiæ 178
Moderationis 21. 72. 195
Munificentiæ 98. 160. 204
Obœdientiæ 14. 20. 32. 48. 82. 87. 121. 143. 158. 172. 254
Obſeruantiæ 19. 205
patientiæ 3. 20. 21. 27. 32. 44. 57. 67. 71. 99. 157. 170
perfidiæ 22. 100. 294. 301
perſeuerantiæ 23
periurii 178. 220. 234. 241. 249. 294. 317
pietatis 10. 21. 69. 70. 160

166. 178. 197. 206
pœnitentiæ 132. 162.
197. 220
proditionis 80. 83.
221. 271
prudentiæ 21. 32. 41.
48. 58. 122. 171
Roboris 65. 87
ſapientiæ 106. 142
ſæuiciæ 241
ſeditionis 312
ſeruitutis 263. 277
ſimulationis 22. 182.
289. 291. 301. 311
Temeritatis 236
Timoris 16
Timoris dei 21. 193. 211
Tyrannidis 288. 306.
330
vxoris bonæ 21. 24.
191. 205
malæ 25. 71. 157
Eluſio 271. 278. 298
Exulibus paratum hoſpitium 82. 195.

F.

Facta bonorum 242.
248. 318
Fames 273
Fides Chriſtianorum 228
Deo placet 4. 6
triumphat de Dèo 26
omnia impetrat 65
tentatur 14
via eſt ad victoriã 143
Fidei magnæ exéplà 2. 16.
12. 14. 15. 20. 22. 228
imbecillis 23
Fides data 278
Fiducia ſui 325. 328
Filii boni è malis 11. 24.
313
mali è bonis 28. 29.
47. 20. 221. 259
mali è malis 218
Filii degeneres 16. 201.
512
Filii boni 7. 11. 309. 313
Filiæ educatio 19
Flagitia maiorum 29
Fœdus 13. 249. 277.
Fœminæ victrices 118.

G.

Gigantum ortus 256
ferocitas 8. 262. 277
habitatio 260. 263
Gentium execratio 259
interitus 259
Gigãtes pacis hoſtes 256
inimici Dei 256
Gigantum vitia 263
Gratia Dei 152. 111. 299
Gratia Deo debetur 8.
13. 30. 46. 49. 72. 159.
121. 189. 190
Gratulatio nubentium
25. 36.

H.

Herodianorum crudelitas 305. 313. 320
Herodiades libidinoſæ
114

Homo

Homo ad vitã duplicem conditus 2
Homo afflictiſſimus 300
maleficus 313
Hoſtes Dei 270
Humanitati cedunt omnia 206. 313
Humilitas placet 214
Hypocriſis Deo inuiſa 57
Hypocritæ 21. 100. 115. 125. 154. 316. 169. 299. 330
ſunt percuſſores 124. 170
regna euertunt 130
ſuperbi ſunt 131.

I.

Idolatria 318. 330
fugienda 143. 144
cauſa malorum 140. 149. 133
Impatientia pii vincuntur 22
Impetus diuinus 58. 59
in ſeipſum 21. 24. 306
Impietas patris in filium 303. 305. 308
matris in filios 255
filii in patrem 8. 9. 250. 311
in matrem 288
in fratrem 212. 220. 223. 288. 289. 292. 294. 301. 311. 303. 309
mariti in coniugẽ 303. 305. 307
coniugis in maritum 249. 308. 311
in generum 248
in ſocerum 253. 305. 300
in propinquos 230. 244. 253. 254. 288. 293. 298. 305
in familiares 214
in clientes 305
in virum bonum 231
in bene meritum 305
in patriã 255. 290. 305
in ſacerdotes 234. 305
erga exteros 278
Impii infelices 38. 126
pereunt 52. 53. 56. 85. 222. 238. 279
ſua manu cadunt 76. 242. 251
vitandi ſunt 5. 70
Impiorũ cõſilia irrita 188
repræhenſio 229
Imprecatio 265
Imprecatio bonorũ 29. 122
Impunitas ſcelerum 11
Indignitas 29. 252
flagitiorum 11
Indulgentia 148. 258
Indurati Pharao 38
Achas 152
Inſolentia 293
Intemperantia libidinũ 7

Interitus Eccleſiæ 269
omnium rerum conditarum 8
Iræ Dei monumentum 258. 323
Iudicium iniuſtum 296. 310. 317
Iuramenti violatio 291
Iuſti non lædendi 80
Iuſti terram impiorum inhabitant 260

L.

Labores tolerandi 1. 8. 124. 290
Lex 44. 267
Lex ſancita de homicidio 9
Legis obſeruatores 229
Libertas reſtituta 14. 237
Libido impatiens repræhenſionis 314
Linguarum cõfuſio 8. 12.
dignitas 12.

M.

Magiſtrat⁹ ciuilis 41. 230
Magiſtratus obſeruantia 32. 206. 237
Magiſtratuum euerſores 133. 301
Mali non poſſunt nocere 23. 235
Mali principes 57. 289. 300
Malorũ conſortia 51. 252
Malum recidit in auctoris caput 197. 199. 207. 226. 227. 269. 279. 311. 314
Martyres 226. 169. 314
Matrimonium 19. 308
Matrimonii auctor 2
lex 9. 35
Minæ Dei non irritæ 20
Miſericordes 253
Miſericordia Dei 29. 121. 132. 138
Mores corrupti 235
Mori pro religione 196. 228. 229
iuſticia 295. 310
Mors beata 228
mirabilis 232
Mors repentina 186
Mors viri boni 68. 220. 243. 244. 295
impiorum 91
Mortuus ſuſcitatus 116. 117. 120. 122
Muliebris calliditas 19. 21. 24. 29. 40. 65. 254. 291
Mulier ſapiens 169. 204
ærumnoſa 228. 252. 300
animoſa 228. 291
coërcens impetum 30
cupida cædis 288. 306. 315
libidinoſa 265
regnans 291
ſuperba 306

Mulieris fortitudo 56. 253. 307
Mulieris ꝓphetiſſæ Delbora 59
Olda 169
Munera bonos corrumpunt 224
Muneris alieni vſurpatio 96.151
Muneris defenſio 131.

N.

Negligentia in rebus diuinis 34
Nihil ſine Deo 34
Negociatorum cura 272
Noticiæ Dei ꝓpagatio 5
Nouerca iuiuſta 309.

O.

Obiurgatio inuiſa 148. 174. 185
Ocium corruptela 115. 247. 257
Officium amici 16. 18. 70. 98
ancillæ 188. 189
diſcipuli 67
doctoris 5. 11. 12. 44. 67. 100. 131
famuli 19. 205
filii 20. 32
fratris 27. 29. 230
patris 19. 71
præceptoris 94
prophetæ 93.141.191
regis 18. 45. 49
ſacerdotis 215. 168
ſenis 220.296
ſocii fidi 45
Vxoris 15.21.89
Virginis 24
Officia vocatiōis 67. 318
Odium paternū 103.309
Odium in regem iuſtum 290
in virum pium 198
Opera Dei 157. 166.

P.

Pacis reſtitutio 230.240
Parentum benedictio 10
contemptus 9. 10
luctus 91
maledictio 262
obœdientia 139
peccata 9
reuerentia 10.29. 253
auctoritas 11
Pauperes 70
extolluntur 300
Paupertas piorum 123
Peccatum nullum impune 6. 83. 132
Pii Deum præſentem habent 8.11.26.32.170. 151.231.258
ſcelera oderūt 16. 257
Pii cum malis ſæpe puniuntur 77.266
vident hoſtium interitum 181

ſeducuntur 13
hoſtibus nocent concionibus 186
precibus 100
Pœnæ diuinæ 264
ambitionis 87.91.238
audaciæ 113 (238
auariciæ. 49. 85. 212.
blaſphemiæ 51. 268
calumniæ 249. 319
cōtumeliæ 61. 65.170
conuicii 156
crudelitatis 37.182. 193.207.222.241. 244
credulitatis 292
Defectionis 249
Ebrietatis 85.112.198
Falſæ doctrinæ 73.156
Fiduciæ propriæ 112
Furti 54.226
Homicidii 3. 7. 78. 135. 83. 149. 252
Idololatriæ 41. 61. 109. 133. 229. 319
Impatientiæ 53
Impietatis 115. 125. 126. 132. 133. 150. 187. 212. 247. 310
Impudentiæ 230. 239
Impudiciciæ 160
Inceſtus 28.255
Incredulitatis 52. 122. 173
Indulgentiæ 52. 66. 91. 258
Infidelitatis 128. 248
Ingratitudinis 35.126. 147. 148. 159.297
Iniuſticiæ 74.159.225
Inobœdientiæ 9.10. 16. 28.50. 183. 67. 72.91. 100.111.151
Inſolentiæ 77
Inuidiæ 24. 50
Laſciuiæ 37
Leuitatis 175.152
Libidinum 24.27.33. 49.90.85.121.191. 247. 257.258.265
Mandati Dei violati 6. 8. 161
Mendacii 37.120. 221
neglecti officii 239
obtrectationis 191
ocii 247
parricidii 62.135.288
perfidiæ 101.178. 249. 251. 294
periurii 241.278.297
proditionis 80
ſacrilegii 218. 219. 221. 224. 226
ſeditionis 59. 86.94. 146
ſtulticiæ 168.174.258
ſuperbiæ 12.15.16.34. 48.89.93.173.239. 248.152. 267.314. 320
Talionis 46.261
Temeritatis 21. 46. 64. 84.

64. 84. 129. 137. 138. 149. 174. 259
Tyrannidis 39. 45. 62. 76. 144. 193. 222. 246. 279. 306. 316
Pœnitentia 53. 132
comes peccati 33
temeritatis 21
Populus fatuus 176. 258
ſacerdotib. ingrat⁹ 213
Poſteri maiorum peccata luunt 76. 78
Poſteris prodeſſe 105
Pater animaduertens in filium 309
Perfidia 178
Periculi metu recta improbare 310. 318
Petitio inhumana 226. 315
libera 320
Pietas in fratrem viuentem 225. 302. 313
mortuum 303
Pietas expoſita periculis 196 296. 309. 319
Pluuia precibus impetrata 116. 295
Pontificatus vendibilis 223. 321. 327
Pōtificatus neglectio 321
Populus legis 17
Potentia facit animoſum 291
Potētia exteri inuiſa 300
Poteſtas Antichriſti 84
Præmia beneficentiæ 158 178
caritatis 178
fidei 189
fidelitatis 147
hoſpitalitatis 14. 54. 117
humanitatis 220
innocentiæ 37
munificentiæ in alenda Eccleſia 117
obœdientiæ 67. 127
pietatis 4. 10. 29. 32. 37. 55. 57. 69. 139. 155. 197. 220. 266. 319
veritatis 188
Preces 100. 120. 160. 231. 95
piorum proſunt aliis 14. 47. 140. 142
vitam malis adimunt 100. 273
bonis conſeruant 276
ſunt efficaces 50. 53. 57. 67. 115. 117. 126. 128. 140. 159. 163. 270. 276
Principum vita 142
ornamenta 105
peccata 258
Prodigia 43. 46. 296
Promiſſio de Chriſto facta Adamo 1
Abrahamo 14
Iſaaco 20
Iacobo 27
Dauidi 83

Promiſſio

Promiſſiones Deus implet 27
Promiſſionum ſigna 8
Propheta hypocrita 111
Prudētia magiſtratus 150
Prudentum error 167
Pudicicia 15
Pupillorum pater Deus 205.

R.

Rex bonus 155.197.199. 217
impius 110.197.201
Regis contemptus 264
Reges latrones 19
Regnum dolo acceptū 61
conſtitutum 16.275
repudiatum 61
affectatum
Aſmoneorum 300
Regnum Babyloniorum 275
Idumæorum ſublatum 322
Iudæorū euerſum 322
Samaritanorum oritur 273
Syriæ redigitur in poteſtatem 255
Sichemitarum interit 258
Regnū facit crudeles 223
251.293. aſtutos 287
impios 223
ingenioſos 224
timidos 223
veſanos 287
Regni trāslatio 198. 278
Religio ſpecioſa 13
contaminata 329
Religionis contemptus 269
Res ſecundæ euertūt homines 247. 251
Repudia 204.209.303. 307
Reuerētia ſenectutis 121
ſuperiorum 83
Robur conſilii expers 84.235.

S.

Sacerdotii & regni honor venditur 22. 245. 304
Sacerdotes boni 171.208
215.217.252
impii 50. 72.74.124.
211.212.223.245.
293.290
Sacerdotū poteſtas 204.
292
Sacramentum violatum 178
Sapientia cœleſtis 32
Sapientia in luxu 123
Saturitas & ociū 16. 257
Serpens Babylonicus 192
Senis cædes indigna 293
Societas cum impiis 118.
141. 143. 144.161

Somnia

Somnia 200.215. 289
Spectrum 219. 235
Superbiã Deus odit 193. 267
homines oderunt 207
Superſtitio 12. 329. 318
Supplicia malorum Deus probat 48
Semel malus ſemper malus 244.

T.

Temeritas adoleſcentum 87
Temeritas Euæ 2
ædificantiũ turrim Babylonicam 8
ducis 236. 237
Templum Aegyptiacum 248
Ieroſolymitanum 193. 244
obſeſſum 277.292.295
Templi euerſio 246. 249. 274. 193. 277. 230. 231
ſpoliatio 224. 275. 292. 298
inſtauratio 199. 201. 202. 216. 305
Teſtimoniũ innocentiæ 57. 505
iræ Dei 316
Terræ motus 130
Timor Dei 157
Turris extructio 11. 302
Turpitudinis fuga 191
Tyranni 1. 12. 38. 45. 62. 75. 129. 144. 162. 222. 223. 244. 246. 274. 290
Tyranni blandi 250
inſidioſi 223
Typus electionis & ſalutis 21.

V.

Vaticinium Danielis 192 200
Ionæ 277
Eſſæi 377
Ieremiæ & Iohelis 272
Arabis 277
Vaticinium de Antigono 289
Cyro 199
Chriſto 203
Alexandro 214
Elia 213
Herode 294
Hyrcano 296
Tyriis 273
Venia delictorum 93
Ventris gratia peccata probare 213
Verbum Dei & ratio 4
Verbi Dei tractatio 14
contemptus 275
Veritas 4. 13. 48. 124.
Victoria 14. 58. 59. 222. 237. 265. 290. 504
Victoria miraculoſa 271
Victoriæ auctor 77. 235
Victoriæ cœleſtes 235. 238. 260

Vindicta

Vindicta priuata 28. 90
hoſtilis 52. 278
Deo committenda 50. 310
Violatio ſepulchri 293
Vir bonus 14. 16. 191. 198. 295
iuſtus 295. 313
Viri boni laus 22. 110. 213. 231. 260. 269
militaris laus 237. 301 309. 310
Viri ſancti affliguntur 83 225. 226
vident in abdita 122
Viro forti nihil inexpugnabile 56. 295
ſancto nihil impoſſibile 122
Virtus impiis inuiſa 225
Virtutes maximæ 252
Vitæ malæ triſtis exitus 114. 225
Vita in cœlis melior 6. 20. 227. 228
Vita noſtra aliis proſit 32
Vnctio regia 287. 304
Voluntas Dei 52. 103
Votum temerarium 64
Vrbium extructio 209. 215. 230. 248. 302
Vxor deſertrix 313. 314
Vxor deſiderata 308
contemptrix mariti 320.

Z.

Zelus viri pii 289.

ERRATA.

Pag. 35. lin 2. Iniuſti. pag. 43. lin. 8. Amalechitarum. 59:25. & caſtra 78.14. non clauſiſſet. 115. 9. impudenter. 133. 4. auctus. 149. 2. apud Matthæum. 158. 8. ad Gabaelem. 178. 18. depopulantur.

LIPSIAE.

IMPRIMEBAT ANDREAS SCHNEIDER.

TYPIS VOEGELIANIS.

ANNO

M. D. LXXIIII.

giall.e [illegible]
1749